
BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS


V
B
Z
C

Autor Ant

Swirczynski

DIES VITÆ RELIGIOSÆ

Per varios Virtutũ Actus
Et Sanctiora consuetorũ operũ Exercitia
DISTRIBUTUS
Atque
Ad Supremi Numinis Gloriam
Animarumq; DEO dicatarum Perfectionem
ORDINATUS.
Anno Solis justitiæ 1726.



CRACOVIÆ
Typis Jacobi Mátyáſzkiewicz S.R.M. Typ:



Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplēdens procedit, & creſcit, uſq; ad perfectam diem. *Prov:* 4.

Melior eſt, dies una in atriis tuis, ſuper millia, elegi abjectus eſſe in Domo DEI mei; magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Pſal:* 83.

Tempore accepto exaudivi te: & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies ſalutis. 2. *Cor:* 6.

Deputentur tempora, diſtribuātur horæ, pro ſalute animæ.
S. Auguſt: lib: 6. Confeſſ. c 11.



APPROBATIO
DIÆCESANA.

OPuſculum hoc, cui Titulus: DIES VITÆ RELIGIOSÆ, accuratiſſimè concinnatum, & ſummopere ad Devotionem excitans legi, dignumq; luce publica cenſeo. Unde ut inprimatur, do facultatem. Cracoviæ in Collegio Majori Die 22. Mart: Anno 1726.

M. MARTINUS WALESZYNSKI, S. Th: Doctor & Profeſ: S. FLORIANI & Scarbimirienſis Cuſtos, Cancellarius Lancicienſis, Præpoſitus Montis S. GEORGIJ in Scepuſio, Studij Generalis Univerſitatis Cracovienſis Procancellarius, Librorum per Diæceſim Cracovienſem Ordinarius Cenſor mpp.

APROBATIO
R. P. PROVINCIALIS,
MARTINVS TRAMPCZYNSKI,
Præpositus Provincialis S. IESU *per Poloniam.*

CUm Opus quod inscribitur DIES VITÆ RELIGIOSÆ, aliquot ejusdem SOCIETATIS Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. MICHAELE ANGELO TAMBURINO, Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo; ut typis mandetur, si ijs ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas manu meâ firmatas & sigillo munitas dedi. Stanislaopoli Die 4. Aprilis Anno 1726.

M. TRAMPCZYNSKI Soc: IESV mpp.



PIUM MANE
DIEI VITÆ RELIGIOSÆ
Dum Surgit.

INSTRVCTIO.

EXcitatus de Somno Religiosus, primam cogitationem convertat ad DEVM, non permittendo eam ab hoste animæ, aliis disturbari, nam inde sub benedictione Divina tota series diurnarum actionum revolvitur. Quare hisce vel similibus affectibus vacabit.

AFFECTVS

IN Nomine Domini nostri IESV Christi crucifixi surgo, ille me benedicat, custodiat, & ab omni malo defendat. In Nomine Patris & Filij & Spiritus S. Amen.

Surgo Domine ad laudandum & amandum te, ad serviendum tibi.

DEUS DEUS meus ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Psal. 62.

Adoro te Pater, adoro te Fili, adoro te Spiritus S. adoro te IESU in Sanctissimo Sacramento existentem.

Benedictus sis Domine in æternum & Benedicta sit bonitas tua infinita in æternum.

Gratias tibi ago quòd me hac nocte incolumem servaveris.

Benedicta sit S. Trinitas atq; indivisa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum magnam misericordiam suam. Gloria Patri & Filio &c.

IESUS & MARIA dulcissimi amores mei, vobis cor meum & animam dono. Sinite vos me & pati & vivere, & mori amore vestri, non sim amplius meus sed totus vester in æternum, IESUS & MARIA sint in ore, sint in corde & affectibus meis.

Dum

Dum vestitur.

INSTRVCTIO.

TAntâ verecundiâ se ornet Religiosus, ut nulla pars intecta, indecenter, & diu appareat. Osculeturq; Vestem Religiosam, tanquam pretium Sangvinis Domini.

AFFECTVS.

EXosculor Vestem hanc Sanctam, & illam super omnes purpuras appretio.

Induimini Dominum nostrum IESVM Christum, abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Domine qui voluisti propter me ad columnam vestimentis nudari, & in Cruce nudus pendere, contege nuditatem animæ meæ, veste gratiæ.

Dum Calceamenta accipit.

Vias tuas Domine demonstra mihi & semitas tuas edoce me.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes Tuas.

Greßus meos dirige in Conspectu tuo.

Advolvor Tuis plantis Domine IESV, & exosculor Sacratißima Pedum Tuorum Vulnera.

Sub scabello Pedum Tuorum, depono me ô Sanctißima Virgo MARIA.

Dum egreditur de Cubiculo.

EGredior Domine tanquam hodie de vita egressurus.

DEVS in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina

Protestor quod malim millies mori quàm Te vel minimo peccato offendere.

Protestor quòd toto me, toto Cælo, toto Vniverso, omnibus motibus, meis, & omnibus tum internis tum externis actibus, amare te, laudare te, honorare te, servire tibi omnibus diebus vitæ meæ desidero.

Angele DEI qui Custos es mei, me

Tibi

Tibi commiſſum pietate ſuperna. Illumina, Rege, Cuſtodi, guberna Amē.

Viſitans Euchariſtiæ SACRAMENTVM.

VEnio ad te Domine cum tributo ſubmiſſionis, Reverentiæ & adorationis, Teq; tota profunditate ſubmiſſionis meæ veneror, adoro, laudo, colo, benedico, & in æternū continuo.

Recognoſco Tuum Supremum Dominium, meamq; omnimodam erga te ſubjectionem.

Ad Te dirigo omnes affectus meos, ad te potentias meas, ad te vires meas, ad te mentem meam, ad te me totum, & toto me laudare te, amare te, honorare te, ſervire tibi omnibus diebus vitæ meæ deſidero.

A Te ſupplex peto Benedictionem; benedicito mihi Pater, benedicito Fili, benedicito Spiritus S. Benedicat Omnipotens & Miſericors Dominus. Pater & Filius & Spiritus S. Benedic

 mihi

mihi ô bone IESV ecce ego in vita, vulneribus, ac Corde Tuo depono actus meos, ut in eo detenti sublimentur, ac sic dignè Sanctissimæ Trinitati, Tuîs, Pretiosissimæ Parentis manibûs offerantur.

O IESV esto mihi IESVS & Salvator nunc & in hora mortis meæ.

INTENTIO LONGIOR
Pro tota Die.

EN venio ad Te Domine DEVS meus cum tributo debitæ submissionis meæ. Iustum est ut ego tibi soli & propter Te solum vivam, qui propter me in Cruce mori dignatus es. Igitur suscipe Domine Vniversam Libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, Voluntatem, Corpus & Animam cum omnibus Potentijs & Sensibus meis, ut hæc omnia Tibi, Tuæq; Gloriæ serviant. Offero Tibi omnes Cogitationes, verba, & opera

mea,

mea: quidquid hodie Cogitaturus, Dicturus, Facturus & Te permittente paſſurus ſum, hæc omnia ad Gloriam Tuam dirigo, Conſecro totum me, cum omnibus internis & externis actionibus meis, Tibi in Sacrificium dedico. Glorificetur Nomen Tuum, in me, per me, per omnes actiones meas.

Adoro Te Sanctiſſima TRINITAS. Laudetur IESVS Crucifixus & Beatiſſima Virgo Immaculatè concepta, honorentur omnes Sancti Patroni mei.

Offero hæc omnia Deus meus, in Adorationem Latriæ Tibi Soli debitam, in Recognitionem Tui Supremi Dominij, meæq; erga Te Subjectionis. Ecce ego ſervus Tuus.

Offero in Gratiarum actionem pro omnibus Beneficijs & Donis Humanitati CHRISTI, Beatiſſimæ, Sanctis Patronis, & mihi indigniſſimo peccatori collatis & conferendis.

Offero in ſatisfactionem pro peccatis meis & meorum, ad impetran-

das Gratias ſtatui meo neceſſarias, ad impetranda Auxilia Sanctè & perfectè vivendi, evitandi peccata, ac tandem ſanctè moriendi in gratia.

Adeſto mihi in omnibus auxiliator ac Protector Deus.

Brevior Intentio.

DEVS meus volo Te hodie ac tota vitâ meâ, laudare, amare, honorare, Tibi ſervire, toto me, toto univerſo, toto Cælo, ſicut & quantùm ſcis & vis me poſſe & debere.

O bone IESV in vita, Vulneribus, ac Corde Tuo depono omnes actus ſive internos, ſive externos, unitos meritis Tuis, Beatiſſimæ Virginis, ac Sanctorum omnium, ut in eo detenti, & Sangvine Tuo aſperſi, de ſua utilitate ſublimentur, ac ſic dignè Sanctiſſimæ TRINITATI, Tuis, ac pretioſiſſimæ Parentis manibûs offerantur.

Petitio Auxilij Divini.

CONfiteor coram te Domine Deus, meam

meam vilitatem, & nihileitatem. Nihil enim ſum, nihil habeo, nihil poſſum ſine te & tua gratia. Tu Adjutor & Auxiliator meus es, Tu fortitudo & lumen meum. Invoco ergo Te, & per omnem bonitatem ac miſerationes tuas, perq; Merita Domini noſtri IESV CHRISTI, ſupplico Majeſtati Tuæ, ut porrigas dexteram Operi Manuum tuarum. Non perdat me iniquitas mea, quem fecit Bonitas tua. Defende me à cunctis hoſtibus meis, erue ab omnibus periculis. Da gratiam efficacem ad vincendas ſuggeſtiones inimici, ad evitanda peccata, ad augendas virtutes, ad perſeverandum in bono. Ego autem proteſtor coram Te DEO meo, quòd Tua adjutus gratia, malim potius mori, & omnibus privari, quam te ô Amor meus vel minimo peccato deliberato offendere. Tu confirma debilem voluntatē meam.

AD BEATISSIMAM.

AD Tuas quoq; Plantas accurro pretioſiſſi-

tiosissima VIRGO ac Mater DEI, Teq; filiali affectu veneror, laudo, colo, benedico, Tibiq; me totum subjicio. O MATER DEI memento mei. Monstra Te mihi esse Matrem. Opitulare mihi ô pientissima Mater in omnibus, nonne opitulaberis. Sub scabello Pedum tuorum vivere, omnia operari volo. Tu sis advocata mea.

Sancta MARIA, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari & salvari, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Prima Diei Religiosæ Hora.

MEDITATIO.

PRæmissa accurata præparatione punctorum meditationis, & servatis additionibûs S. Patris ad rite instituendam meditationem requisitîs. Expensis item ac bene penetratîs in ante, hac de re instructionibûs, præsertim

verò

vero inſtructione 6ta de modo meditandi. Congruum videbatur ut hic varij modi meditandi ex S. Patris Exercitijs deſumpti proponerentur, quibus utiliùs informarentur Tyronum animi ad fructuosè obeundas meditationes quotidianas.

Primus Modus Meditandi
PER EXERCITIVM
Trium animæ Potentiarum.

CIrca ſingula puncta aut veritates, ſeu myſteria exercendæ ſunt tres animæ noſtræ potentiæ. Nempe Memoria, Intellectus, & Voluntas. Porro ad memoriam ſpectat ut revocet in mentem, ſeu ſtatuat ante oculos mentis, illud punctum. ſeu materiam, ſeu myſterium, de quo meditatio inſtituenda.

Ad intellectum vero pertinet, ut expendat, ſeu diſcurrat circa idem commemoratum ſibi punctum vel myſterium;

rium; examinando circumstantias illius rei meditandæ, quis, quid, ubi, cur, quomodo, quando, quibus auxilijs &c. semper tamen adjecta reflexione ad vitam & mores proprios, sive præteritos, sive futuros. Examinando item proprietates rei. Similitudines, exempla, testimonia, causas &c.

Ad voluntatem deniq; spectat, ut varios affectus, congruos tamen discursui, & ad quos eam ducit discursus eliciat. vg. Adorationis DEI, gratiarum actionis, confusionis sui, exinanitionis, contemptûs vanitatum, & omnium terrenorum. Exspoliationis sui, ab omni affectu caducorum; Doloris de peccatis, Retractationis commissorum, protestationis coram DEO, petitionis, implorationis auxilij Divini, desiderij, Recognitionis suæ labilitatis & iufirmitatis, Invocationis Beatissimæ, & Sanctorum, spei, charitatis, humiliationis, commiserationis super cæcitate & defectibilitate aliorũ &c. propositorũ &c. &c. Exem-

Exempli gratia, meditaturus quis de Christo Crucifixo, poſt Præludia. Imprimis memoria ſtatuat ante oculum mentis. Christum in Cruce ſuffixum. Poſtea intellectus expendat quis pendet in Cruce? Filius Dei. Dominus Cæli & terræ in trabe ignominioſiſſima ſuſpenſus, nudus, vulneratus. Tum reflexio ſuccedat ad ſuam vitam. Et ego ſervus, ac viliſſimus vermiculus crucem fugio, vel minimam ignominiæ umbram averſor, omnia pati recuſo. Taliſne debet eſſe ſervus tanti Domini? Ergone ego digniorem me facio Christo? Tandem Voluntas erumpat in affectus. O Domine confundor ac erubeſço meæ vitæ difformitatem. Non eſt tuæ humilitatis Spiritus in me, & patientiæ. Non eſt Virtus tua. Sed rogo ſuppliciter ut me tuo Spiritu repleas. O Pater Optime da mihi Spiritum tuum bonum petenti.

Iterum intellectus redeat ad diſcur-

ſum

sum: examinando vg. quid CHRISTUS patiatur in Capite, Vultu, Oculis, Manibus, Pedibus, ac toto corpore: Item quomodo patiatur, quà mansvetudine, fortitudine, sine querelis, sine murmuratione, &c. Similiterq; reflexio ad suam vitam convertatur, ac affectus congrui eliciantur, cum propositis heroicis. &c.

Pari ratione aliæ omnes circumstantiæ examinentur, & reflexiones ad se dirigantur.

Secundus Meditandi Modus.

PEr considerationem Personarum, & rerum intervenientium in illo mysterio vel puncto, circa quod meditatio procedere debet; expendendo scilicet singulas Personas, & res, quænam ibidem reperiantur? item quid loquantur? & quo situ? gestu? &c. quid item agant. Videndumq; utrum & tu similiter vitam componere non possis? aut alium fructum percipere,

non valeas. Adde quoq; congruos affectus. Exempli gratiâ: Meditando de CHRISTI Crucifixione. Spectabis CHRISTUM de Cruce pendentem, ac vulneratum, circumfusum Sangvine. Beatissimam ac Sanctum Ioannem & aliquot Mulieres Sanctas sub Cruce stantes; tot item millia Hominum. Ex quibus alij compatiuntur innocenti CHRISTO & hi pauci sunt; alij subsannant eum. Et tu inter quos tunc stares, si illîs diebûs viveres. Tu nostri Domine omnia; desidero tamen affectu Sanctissimæ Matris tuæ & Sanctorum assistere Tibi morienti &c. Vide utrum non erubuisses tunc CHRISTUM, & ejus Crucem, qui etiam nunc multa agis propter respectus humanos. Confitearis tuam infirmitatem. Contemne omnes respectus humanos. Dic cum Sancto Paulo. Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini IESV CHRISTI. Expende occasiones, in quibus imiteris Beatissimam stantem sub Cruce.

ce.

ce. Detestare autem blasphemias illorum insultantium CHRISTO, compatere tu illi cum compatientibus, & Passionem ejus in Corpore suo portantibus.

Considera item quid loquantur illæ omnes Personæ, quid agant, quomodo se gerant & imitanda contende imitari. &c.

Tertius Modus Meditandi.

PEr applicationem sensuum ad contemplandum aliquod mysterium. Nempe applicare visum imaginationis, auditum, gustum, odoratum, tactum. Exempli gratiâ. Meditando de Crucifixione CHRISTI; Videbo hiantia Vulnera Capitis, manuum, pedum, lalateris ac totius Corporis. Audiam sonitum malleorum, subsannationis crucifigentium. Gustabo fel & acetum, patiar dolores, & Vulnera CHRISTI, tanquam illa ad corpus meum pertingerent. Simulq; reflexiones varias ad me dirigam, & affectus eliciam. Compatiar

patiar

patiar CHRISTO. Confitebor me cau- ſam eſſe CHRISTI dolorum. Offeram me ad omnia cum CHRISTO patienda. &c. Hunc meditandi modum pro- poſuit Sanctus Pater Ignatius, in ſuis Exercitijs; meditatione de inferno.

Quartus Meditandi Modus.

PEr varias reflexiones, Senſus, ſimi- litudines, ſignificationes, devo- tiones, ac affectus ex aliquo locò Sa- cræ Scripturæ erutos, ſingula verba, aut ſententias, ſive Evangelij, ſive alterius Sacræ Scripturæ expendendo tamdiu, quamdiu potero varias in- de eruere cogitationes Sanctas, & mo- ribus aut affectui ſervientes. Exem- pli gratiâ. Expendendo Orationem Dominicam. *Pater noſter.* imò circa iſtam vocem. Pater. vraias eruam re- flexiones; examinando cur DEUS dica- tur Pater? Videbo quomodo omnes Patris proprietates erga nos expleat? quàm tenero amore nos complectatur?

quo-

quomodo immorigeros & ingratos foveat &c. Ille quidem Pater, sed nos sumusne Filij? & quales? &c. Similiter ad aliam vocem procedendum est. Hic modus vocatur 2dus modus orandi; valde proficuus ad orationem vocalem attente & reflexe peragendam.

Quintus Meditandi Modus.

PEr Examen & rationem cum sua conscientia ineundam. Assumptis vg. præceptîs divinîs aut regulîs sui officij, aut consilijs Evangelij, aut propriîs obligationibus inquiram quomodo hanc vel illam regulam, hoc vel illud præceptum, consilium observare teneor? quomodo hucusq; observavis? in quo illud trangressus sum? quomodo in posterum observabo. Accusabo me, & confitebor iniquitatem meam, dolebo, deprecabor DEUM. Proponam &c.



Secun-

Secunda diei Religiosæ Hora:

MISSÆ SACRIFICIUM

Intentio Audiendi Sacrum.

SAnctissima & Adoranda TRINITAS, DEVS PATER, DEVS FILI, DEVS SPIRITUS Sancte, ecce ego prodeo de palude vilitatis meæ, & te sic volente accedo ad te venerabundus cum infinito tributo servitutis nostræ, quod tibi offero, per hoc Sarificiũ celebrandum, nempe corpus, animam, Sangvinem ac divinitatē Domini Nostri IESV CHRISTI, cum omnibus ejus Beatissimæ ac Electorum omnium meritis & affectibus præsento tibi, tanquam latreuticum, in Adorationem latriæ tibi soli debitæ, ac recognitionem tui Supremi dominij, meæq; erga te subjectionis.

In Adorationem Supremæ excellentiæ DEI PATRIS, DEI FILIJ, DEI SPIRITûs Sancti, in adorationem tui inquan-

quantum Prædestinator es, & altiſſimæ tuæ de me, meiſq; omnibus, & illi inſcrutabili, ac æternum duraturæ diſpoſitioni quam pronus adoro.

In Adorationem infinitæ Miſericordiæ tuæ, quæ ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum delebat, delet, & delebit ut ſpero peccata mea.

In adorationem Iuſtitiæ tuæ, quam placare volo hoc munere Euchariſtico, ſuſcipe ergo tremenda Iuſtitia DEI, Corpus & ſangvinem Domini noſtri JESV CHRISTI in hoc ſacrificio offerendum, & jam reſpice in faciem CHRISTI Tui, ut non reſpicias plures arenâ maris, iniquitates meas.

In adorationem Sanctitatis tuæ, per quam Sanctificari. In adorationem Bonitatis per quam meliorari. In adorationem Sapientiæ per quam inſtrui, Prudentiæ per quam gubernari cupio.

In adorationem Immenſitatis Tuæ Divinæ per quam repleri tuæ præſentiæ memoriâ, peto; ut te DEO meo plenus

plenus vivam in æternum, & provideam Te in conſpectu meo ſemper.

In adorationem Claritatis tuæ Divinæ per quam illuminari, duplicibuſq; tenebris peccati ſcilicet & ignorantiæ liberari ſuppliciter oro.

In adorationem Svavitatis tuæ Divinæ per quam omni amaritudine & aſperitate exui, tuáq; dulcedine repleri deſidero.

In adorationem Puritatis tuæ Divinæ, per quam ab omni ſorde & affectione, rerum terrenarum depurari & emundari emendico.

In adorationem Fortitudinis, Immortalitatis, ac immutabilitatis tuæ Divinæ, per quam confortari, corroborari, ac confirmari in tua gratia ſupplex efflagito.

In adorationem Providentiæ tuæ Divinæ, ad quam venerabundus accedo petens per hoc Sacrificium ut mihi ſuperimpendere digneris benigniſſimas protectiones tuas,

In

In adorationem totius illius abyssi & pelagi omnium perfectionum, excellentiarum, attributorumq; tuorum divinorum, & quidem his ipsis pefectionibus ut adstrictis & specialiter contentis in Eucharistiæ Sacramento:

In adorationem VERBI Incarnati pro me Crucifixi, nec non in venerationenem hyperduliæ Beatissimæ Virginis MARIÆ atq; duliæ Sanctis Patronis meis debitæ.

Offero hoc Sacrificium tanquam repræsentativum illius cruenti in ara Crucis & incruenti in ultima cæna Sacrificij, ad oblectandum gustum tuum, & exaltandam gloriam tuam.

Volo autem id exequi non solum Nomine meo, sed etiam Nomine omnium Creaturarum, & præsertim nomine hujus, vel horum, pro quo, vel quibus offerre hoc Sacrificium intendo.

Offero tibi ut Eucharisticum seu gratiarum actorium in gratiarum actionem pro omnibus tum mihi, tum

meis

meis omnibus ſive vivis ſive defunctis, collatis, & conferendis in totam æternitatem, præcipuè autem pro beneficijs collatis huic vel hiſce pro quo vel pro quibus hoc Sacrificium Tibi Deo meo offero;

Offero tibi ut propitiatorium & ſatisfactionem pro omnibus peccatis totius vitæ meæ, & meorum & præſertim illius illorum. &c. quibus applicari volo ſatisfactionem correſpondentem huic Sacrificio ſecundum illius vel illorum capacitatem & indigentiam, ſecundum meam obligationem, & tuum beneplacitum Deus meus.

Offero tanquam impetratorium ad impetrandas gratias animæ meæ neceſſarias, & dona ſtatui meo congrua. &c. &c. Idq; totum exequi deſidero ex motivis omnium virtutum tam moralium quàm Theologicarum, digne te Domino meo, digne te Deo meo. Ex motivo Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, Conformitatis cum

tua voluntate, Gratitudinis, Obedientiæ, ex desiderio quam arctissimæ, illiusq; indissolubilis unionis Tecum Deo meo.

INTENTIO BREVIOR.

ADoro Te o Sanctissima TRINITAS & hoc Sacrificium cui attentus adesse volo, tibi offero *tanquam latreuticum* in adorationem *latriæ*. Tibi soli debitæ, in recognitionem tui Supremi dominij & nostræ subjectionis.

Tanquam Eucharisticum. in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs à te in me & in omnes Creaturas profusis.

Tanquam Satisfactorium, in satisfactionem pro omnibus peccatis meis ac totius mundi.

Tanquam Impetratorium in impetrationem omnium illorum donorum, quæ tu scis & vis me posse & debere petere à te. Et volo id totum facere toto me, toto universo, toto cælo, ita sicut debeo; & sicut possum, vellem etiam eo

modo,

modo ſicut & quantum tu dignus es.

Præmiſſa intentione, quæ vel tempore præparationis ad communionem, vel in progreſſu ad templum fieri poterit, jam ſequuntur Praxes audiendi Sacri; duæ quidem ad audiendum Sacrum ordinariis diebûs ſervituræ, 3tia ſpecialiter ordinabitur ad ſuſcipiendam Communionem.

PRAXIS I.
Audiendi Sacri.

VSitata multis audiendi ſacri praxis eſt. Cum Sacerdote omnia illa dicendo cum maxima quâ par eſt devotione, & attentione, quæ Sacerdos clara voce pronunciat. Non poſſunt enim efficaciores, & Deo gratiores Orationes reperiri quam eæ ſint, quas tota Eccleſia uſurpat in miſſæ Sacrificio. Proinde audiens Sacrum cum Sacerdote præmuniat ſe Signo Crucis. Poſtea affectu obſtupeſcentis & admirantis

dignationem Dei, quod tam vilem creaturam ad tam excelsa Mysteria Sacrificij admittat, dicat: *Introibo ad Altare DEI*, qui à facie Dei meritò reijciendus eram.

In prosequendis cæteris ad introitum spectantibus. Subijciat se Iudicio Dei, & se indignum judicet. *Iudica me DEUS, & discerne causam meam &c.*

Petat item lumen, & directionem à veritate Divina. *Emitte lucem tuam, &c.*

Confiteatur DEo vilitatem suam. *Confitebor tibi &c.*

Excitet se ad spem & fiduciam in Dei misericordia. *Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi &c.*

Et iterum cum majori desiderio Sacrificij offerendi Deo pronuntiet. *Introibo ad Altare DEI. &c.*

Postulet ad id ipsum auxilium Dei. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini &c.*

Tandem ut puriore mente tanta pertractet mysteria. Confiteatur omnia pec-

peccata sua coram Deo, Beatissima & Sanctis. *Confiteor DEO omnipotenti &c.* Deprecetuq; Beatissimam ac omnes ut pro se orent Deum. Ideo precor &c.

Post hæc cum maxima cordis compunctione & submissione audiat Sacerdotis, Nomine totius Ecclesiæ pro se & omnibus fusam orationem ad Deum. *Misereatur nostri &c.* & accipiat tanquam Nomine Dei sibi datam absolutionem. *Indulgentiam absolutionem &c.*

Continuetq; reliquas Orationes, jam Indulgentiâ à Deo accepta, hilatiore mente. *DEVS Tu conversus &c*

Dum Sacerdos ascendit ad Altare.

Eleva & tu cor ac mentem tuam ad Deum, rogans Deum ut te ab his terrenis abstrahat.

Dic item cum Sacerdote.

Kyrie eleyson. Christe miserere, & mei, & pro quo, hoc Sacrificium offero, ac totius Domûs hujus, & o-

 mnium

mniũ in ea Perſonarũ miſerere Domine.

Similiter cum Sacerdote dicatur.

Gloria in excelſis Deo & in terra pax &c.

Dum Sacerdos dicit Dominus vobiſcum.

Deſidero Domine Deus meus ut te Deo meo plenus vivam in æternum. Sis rogo mecum in vita, & in morte, ſis in omnibus actionibus meis.

Reliqua cum Sacerdote proſequatur audiens Sacrum; omnia ea, quæ clarè dicit cum eodem dicendo, & orando. Alia verò ex ſequentibus praxibus deſumantur.

PRAXIS II.

Audiendi Sacri per Myſteria VERBI INCARNATI.

Dum Sacerdos deſcendit ad infimum gradum Altaris.

REpræſentantur tunc deſideria Sanctorum Patrum cum magno tædio

dio expectantium adventum CHRISTI & illius Incarnationem ardenter orantium. *Rorate Cæli de ſuper, & nubes pluant juſtum.* Adjunge te illis & dic:

Ecce & ego ardenti Corde deſidero te Domine IESV, quando venies o Solatium Animæ meæ. Veni Domine & noli tardare. *Sitivit in te Anima mea, quam multipliciter tibi Caro mea.* Pſal. 62.

Deſidero in omnibus implere Voluntatem tuam.

Deſidero cum maxima devotione & attentione huic Miſſæ Sacrificio adeſſe, & ejus Myſteria recolere.

Deſidero mundo, & igne amoris inflammatiſſimo Corde ſuſcipere te ſemper in Euchariſtiæ Sacramento.

Deſidero indiſſolubilibus gratiæ & Charitatis tuæ vinculis adſtringi tibi.

Deſidero videre & frui Te æternum in Cælo o infinita pulchritudo DEUS meus. Ante te deſiderium meum, & tibi ſe ſubjicit Cor meum.

Vt autem hæc obtineam, confiteor tibi Deo meo, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere mea Culpa, mea Culpa, mea maxima Culpa. Doleo ex toto Corde meo unicè ob tuam Bonitatem ac dignitatem quia tibi peccavi quem ſolum amare debui. O quis mihi det lachrymas & dolorem omnium pænitentium, illorum affectibus deflere mea peccata vellem. Depono os meum in pulvere vilitatis meæ, & contritus clamo ad te. Deus propitius eſto mihi peccatori &c.

Dum Sacerdos aſcendit ad Altare.

Recogita adventum Christi per Incarnationem & dic:

SAluto & adoro te Fili Dei vivi de ſinu Patris, in uterum puriſſimæ Virginis deſcendentem, & inde in mundum prodeuntem. Rogo te per viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus vi-

ſitaſti

ſtaſti nos oriens ex alto, ut ſicut humanitatis noſtræ particeps fieri dignatus es, ita nos divinitatis tuæ conſortes efficias.

Dum Sacerdos dicit Gloria in excelſis.

Recogita Nativitatem CHRISTI in ſtabulo, audi Angelos canentes, ſpecta Paſtores & Reges divinum Puſionem adorantes cum quibus.

Adoro Te tota profunditate ſubmiſſionis meæ VERBUM Incarnatum, & propter me pauperrimè in ſtabulo ex puriſſima Virgine MARIA natum.

Laudo te cum Angelis Tibi canentibus, procido coram Te, & affectu ac ſubmiſſione Paſtorum & trium Regum, veneror Te. Sit Nomen tuum benedictum, ex hoc, nunc & uſq; in ſæculum. Rogo te per tuam Nativitatem ut me facias renaſci in ſpiritu & gratia tua.

Cum Sacerdos conversus ad Populum dicit: Dominus vobiscū.

Converte te ad nos Domine expectantes vultum tuum. & reple nos te ipso ac donis tuis. vel: *Converte nos DEVS Salutaris noster. Et averte iram tuam à nobis.*

Dum Sacerdos ad cornu Altaris orat:

Recogita CHRISTI orationes, quibus deprecabatur Patrem pro nobis; & cum illis uniendo precationes tuas dic.

SAnctissima TRINITAS unus DEUS, gaudeo de omni cultu, veneratione & honore, quem tibi præstabat VERBUM Incarnatum CHRISTVS Dominus vivens in terris. Omnes orationes illius offero ad gustum beneplaciti tui, & cum illis unio orationes Ecclesiæ, petens ut nos exaudire digneris, per eundem Dominum nostrum IESVM CHRISTUM, qui tecum vivit & regnat in uni-

in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.

Sub Evangelium & Credo.

Recogita Christum docentem turbas, & obeuntem Vrbes, villas, benefaciendo & sanando omnes, verboq; veritatis instruentem atq; dic:

Acceptо Domine IESV doctrinam tuam in ho Evangelio expressam; da mihi gratiam eam intelligendi & observandi. Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum & exquiram eam semper. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas. Credo in te, & tibi propter te, & veracitatem tuam infallibilem, credo omnia quæcunq; mihi per Sanctam Ecclesiam credenda propusuisti. In hac fide vivere & mori desidero. Tu me in ea confirma Domine omnibus diebus vitæ meæ.

Dum Sacerdos ſe convertit & dicit: Dominus vobiſcū.

Deſidera ut & te CHRISTUS viſitet & ſanet, tecumq; maneat.

Sub tempus offertorij Hoſtiæ & Calicis.

Recogita Myſterium Inſtitutionis Euchariſtiæ in ultima cæna dicens.

OBſtupeſco ad tanta dignationis & amoris tui erga nos documenta, Domine IESV dum nobis carnem tuam in cibum, & Sangvinem in potum tradis. Benedicta ſit in æternum Bonitas Tua infinita pro Inſtitutione hujus Sacramenti & Sacrificij. En & ego me tibi Domino meo, ac tecum Patri æterno trado & offero in holocauſtum, ut in me totus amor proprius extingvatur & pereat, amor autem tuus accēdatur & vivat. Totuſq; ſim tuus, non amplius meus, aut alicujus creaturæ, in æternum. Et ſicut eſſen-

tia

tia Panis & Vini tota destruitur, annihilatur; ac in te transubstantiatur, ita & ego totus peream in me, & inveniar in Te, atq; in te transformer, ut vere cum S, Paulo gloriari valeam. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me* CHRISTVS.

Depono in hac patina ardentissimum amore Cor pretiosissimæ Virginis MARIÆ & Sanctorum tuorum Tibi perfectè servientium, præsertim hodierni Sancti, & in unione affectuum offero tibi tepidum cor meum, petens ut amoris tui igne illud fervere facias.

Dum Sacerdos lavat Manus.

Recogita humilitatem CHRISTI lavantis pedes Apostolorum, etiam Iudæ. Et roga ut te quoq; abluat ab omnibus maculis.

Amplius lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Cor *mundum crea in me, & Spiritum rectum innova in visceribus mEis.* Ne *projicias me*

à facie

à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Ante primum pulsum ad Sanctus.

Recogita Passionem CHRISTI, ejus mærorem, tædia, ac pavorem in horto, illius item Orationem & Sangvineum Sudorem, comprehensionem, vincula, conculcationem, apud Iudices accusationem, falsa testimonia, flagellationem, spineam Coronationem, &c: & in recompensationem horum omniũ, laudabis & exaltabis CHRISTUM cum Sanctis Angelis, dicens.

AMabilissime Redempor noster Te in horto propter me paventem, tristem orantem, Sangvinem sudantem, Te comprehensum, ligatum, conculcatum, Te apud judices falso accusatum, consputum, alapis cæsum, illusum, flagellatum, spinis coronatum, Barabbæ postpositum, veste coccinea indutum, ad mortem ignominiosam crucis damnatum. Te inquam laudo, exalto,

exalto, magnifico, Te adoro, Te toto corde meo amo, Te benedico, & pro his doloribus, contemptibus, vulneribus, depreſſionibus tuis, offero tibi omnes laudes, adorationes, honores, ſubjectiones, quibus ſe tibi ſubjiciunt, te venerantur, ac tota æternitate venerabuntur omnes Sancti Angeli & Electi Tui. Illorum fervore & devotione concino tibi Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Da mihi Domine Spiritum tuæ humilitatis, patientiæ, manſvetudinis, obedientiæ; da imitationem tuarum virtutum.

Sub Memento Vivorum.
Orabis & Tu.

PEr hanc acerbiſſimam Paſſionem & ignominioſam mortem Domini noſtri IESV CHRISTI quam ego devoto affectu recolo; miſerere Domine Eccleſiæ militantis ſponſæ tuæ, dilata & exalta eam propter gloriam Nomi-

nis

nis tui. Extirpa hæreſes, & deprime ſuperbiam infidelium adverſantium Nomini tuo. Miſerere Domine omnium Eccleſiaſticorum, Spiritualium, Religioſorum præſertim noſtræ Societatis, da illis vitam exemplarem. Miſerere Dominorum Chriſtianorum, da eis prudentiam cæleſtem, ad gubernandum populum tuum. Miſerere Parentum meorum, Fratrum, Sororum, Conſangvineorum ſicut vis, ſcis & potes. Miſerere omnium in peccato exiſtentium, trahe illos gratiâ tua efficaci ut reſipiſcant. Miſerere omnium afflictorum, agonizantium, captivorum, egenorum; & ſuccurre eis miſericorditer. Per Dominum noſtrum Iesum Chriſtum &c.

Sub tempus Elevationis.

ADoro te ſub his ſpeciebus Euchariſticis exiſtentem DEVM verum & hominem Tibi ſe totum cor meum ſubjicit, Tu ſolus Rex meus & Deus

meus

meus es. Vivat IESVS meus, & exaltetur Rex Salutis meæ.

Domine qui dixisti *cum exaltatus fuero à terra, traham ad me omnia*; trahe me ad te, ut abstractus ab his omnibus terrenis, Tibi soli serviam omnibus diebus vitæ meæ.

Sanctissima & adoranda TRINITAS, DEVS PATER, DEVS FILI, DEVS SPIRITUS Sancte, offero tibi hunc pretiosissimum Sangvinem Salvatoris mei pro me in passione effusum in ablutionem meorum & totius mundi peccatorum. Respice Pater æterne in faciem Christi tui, & miserere mei. Defluat vel unica gutta Sangvinis tui Domine IESV in animam meam, & abluat omnes sordes peccatorum meorum. Fac me quæso participem meritorum, vitæ, passionis, ac mortis tuæ, in quibus totam spem meam, repono.

Sub memento Mortuorum

Ora pro Defunctis.

Pien-

PIentiſſime Domine IESV CRISTE miſerere etiam animarum in purgatorio detentarum propter dolores, paſſionem ac mortem tuam. Extingvat Sangvis tuus illum ardorem flammarum, eas exurentium, ſentiant refrigerium & ſolatium ex tuis vulneribus. Miſerere autem potiſſimùm animarum Benefactorum & conſangvineorum noſtrorum. Miſerere animarum quæ meis egent ſuffragijs, & pro quibus maxime orare teneor. Miſerere illarum animarum quæ viventes in corpore, ſpecialiter tuæ paſſioni afficiebantur, & Sanctiſſimæ Matri tuæ. His ac omnibus alijs in te quieſcentibus per mortem, paſſionem & Crucem tuam, dona requiem ſempiternam, & locum indulgentiæ, & deduc eas ad viſionem tuam, ubi regnas cum Patre, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Dum Sacerdos ſupra Calicem Hoſtiâ benedicit Ora.

Benedic Domine hæreditati, tuæ & rege eam & extolle illam, benedic Poloniæ noſtræ ac omnibus nobis hic præſentibus ut ſub tua benedictione vivere & mori valeamus.

Dum Sacerdos dicit Pater noſter.

Recogita Chriſti mortem, ejuſq; ad Patrem Orationẽ pro Crucifixoribus.

Et tu cum varijs reflexionib9 dic.

Pater noſter. Ego quidem indignus vocari filius tuus, quoniam peccavi in cælum & coram te: Tu tamen pientiſſime Pater ſuſcipe me redeuntem cum filio prodigo, & confitentem peccata & ingratitudinem meam, en jam deſidero ſemper adhærere tibi, & filiali affectu amare te Patrem meum omni amore digniſſimum: Ne permittas me quæſo ſeparari à Te.

Qui es in cælis. Tu Pater in cælis, & ego

ego infixus ſum in limo profundi. Cur in terra hæreo & ad Te, toto affectu meo in cælum non feror. Ah Domine! ſordet mihi terra, dum cælum aſpicio; ubi tu amantiſſimus Pater reſides.

Sanctificetur nomen tuum Hoc unice desidero totis medullis & viribus meis, ut in me, per me, perq; omnia mea Sanctificetur nomen tuum. Sit nomen tuum benedictum ex hoc, nunc & uſq; in ſæculum.

Adveniat Regnum tuum. Non regnet in me Domine peccatum, nec dominetur mei omnis injuſtitia, Tu ſolus eſto Rex meus & Dominus meus. Tua gratia regat animam meam & cor meum, & omnes actiones meas.

Fiat Volunaas Tua ſicut in Cælo & in terra. O quoties amantiſſime Pater voluntati tuæ adverſabar ſequens concupiſcentias meas. Iam igitur Domine, non mea iniqua perverſa, cæca, ſtulta, in omnia mala præceps, ſed tua digniſſima,

ma, tua sapientissima, tua sanctissima fiat voluntas sicut in cælo, & in terra, sicut in vita, ita & in morte, sicut in tempore, ita in æternitate fiat voluntas tua in me, per me, circa me, circa omnia mea.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Da Domine Panem eucharisticum maximè hoc die, quando mors imminebit, da & hoc die vitæ meæ quo alatur anima in totam æternitatem, da panem gratiarum & donorum supernaturalium.

Dimitte nobis debita nostra. Pro quibus Domine tantos labores subire, & dolores pati voluisti, quæ utilitas in sangvine tuo esset, si nos peccata nostra consumerent.

Sicut & nos dimittimus. Dimitto Domine ex corde omnibus, qui me offenderunt, & omnes condono injurias, desiderans ut tu dimittas peccata mea.

Et ne nos inducas in tentationem. Nosti Domine fragilitatem ac labilitatem

meam,

meam, ſicut arundo vento agitata ſum, ſicut folium quod vento rapitur. Tu es fortitudo mea, Tu virtus mea, Tu firmamentum meum. Ad te confugio in omnibus tentationibus. Miſerere mei ſicut ſcis, vis, & potes.

Sed libera nos à malo. Et quod eſt malorum maximum peccatum, ab hoc nos libera Domine, libera & à malo non amandi Te, & non deprimendi me.

Sub tempus Fractionis Hoſtiæ.

Recordare Agoniæ Chriſti in Cruce, ſeparationiſq; animæ à corpore, & dic: Domine IESV Chriſte per acerbiſſimam amaritudinem dolorum & cruciatuum tuorum, præſertim in illa hora dum Sacroſancta Anima tua egrediebatur de Corpore, miſerere animæ meæ, maximè in egreſſu ſuo.

Inſtanti mortis & agonis tui Domine IESV Chriſte, commendo & unio inſtans mortis & agonis mei, mors Tua, ſit vita animæ meæ.

Ad Agnus DEI.

Agnus DEI qui te ipſum Patri æterno pro nobis obtuliſti & qui tollis peccata mundi miſerere ſicut ſcis, vis & potes.

Fiat Præparatio ad Communionem Spiritualem.

Recordare Chriſti de Cruce depoſiti & in ſinu doloroſiſſimæ Matris collocati, atq; ad Sepulchrum delati, & dic.

EN accedo ad Te mi IESV in Sinu doloroſæ Matris depoſitum; quis mihi det ut illius Corde & ardentiſſimis affectibus Te Dominum meum complecti, adorare, ſtringere, tua vulnera exoſculari valeam? quis mihi tribuat lachrymis meis pedes tuos cum Magdalena rigare, & ad Sepulchrum cordis mei deducere. Quid enim mihi eſt in cælo & à Te quid volui ſuper terram, præter Te DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum. Tu ſolus Amor meus. Tu deliciæ meæ.

Tu omne bonum meum Deus meus & omnia.

O IESV amabilissime, O IESV dulcissime Vnicum desiderium meum en Tibi soli aperio, Tibi soli trado, dedico cor meum, excludens omnium rerum creatarum amorem. En Te arctissime stringo; Tibi soli indissolubiliter uniri desidero. Veni Domine, noli tardare. Imple Te ipso & donis tuis domum Cordis mei. Mane nobiscum Domine quia advesperascit. Esto signaculum cordis mei, ut nihil amplius quod Tibi displicet penetret in Cor meum.

Domine non sum dignus.

ET unde hoc mihi Domine ut Tu venias & visites me pauperculam Creaturam tuam. Nihil reperitur in me dignum Oculis tuis & præsentia tua. Indigni oculi tot curiositatibus, vanitatibus, immodestijs fædati, quos adtollam ad videndum Te. Indignum os & lingua mea ut illa ad Te recipien-

piendum exeram, quibus toties ad tot nefanda abusus sum. Indignum cor varijs infascinatum affectibus, ut Te præsentem habeat. Agnosco & confiteor dignissimè Deus indignitatem & vilitatem meam, propter quam me exinanio, deprimo, contemno, & infra omnes abyssos nihili mei me abijcio, Coram Te vilifico me, coram Te in pulverem me redigo. Domine non sum dignus, Tu solus me dignum efficere vales. qui domum Zachæi benedictionibus implevisti, qui Magdalenam peccatricem Sanctificasti. Eandem ego gratiam licet peccator & indignus, emendico à Te, Domine miserere mei.

Vt intres sub tectum meum.

ET quid o infinita Pulchritudo IESV, ageres in hoc fætido cordis mei ergastulo? Deceretne tuam immensam Majestatem in hac cloaca consistere? O Domine immunda est habitatio cordis mei. Tu Cor purum, cor

castum

castum, cor mundum crea in me, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Tu gratijs & donis tuis exorna animam meam. Tu intellectum meum illumina, Voluntatem Tui Amore accende, maculas omnes meas Sangvis tuus eluat. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Sed tantum dic Verbo tuo & Sanabitur Anima mea.

DIc Domine Verbo illo quo ex nihilo fecisti omnia & ego recreabor ac renovabor in aliam Tibi placentem Creaturam.

Illo verbo qua Lazarum resuscitasti de monumento, & tot mortuos reduxisti ad vitam & ego vivificabor in Te ac à morte peccati resuscitabor.

Illo verbo quo leprosos mundasti, & ego mundabor.

Illo verbo quo cæcos illuminasti, & ego illuminabor, ut in Lumine clari-

tatis tuæ ambulem coram Te, omnibus diebus vitæ meæ.

Illo verbo quo ſanabas omnes, & ego ſanabor ab infirmitatibus meis, & collaudabo Nomen tuum in æternum.

Credo Te præſentem in Euchariſtiæ Sacramento. Spero in Te & à Te omnia. Amo Te ſuper omnia, deſidero Te ſaltem Spiritualiter ſuſcipere.

Iam itaque ardentiſſimo Corde & affectu intra me recipio Te, & omnibus votis & affectibus ſtringo Te, nec dimittam Te, donec benedixeris mihi. Tota igitur Divinitas tua laudet & amet Te pro me, & in me.

O mi IESV Dulciſſime transforma me in Te & tuo Spiritu vivifica me ut vivam ego, jam non ego ſed Tu vivas in me.

Omnis actio & motus meus ſpiret Te, omne reſpirium meum ſit aſpiratio ad Te.

Da Domine ut me perdam in Te nec alibi inveniar niſi in Te. O A-

mor! O IESV amor mi effunde in me fontem miserationum tuarum, ut in mari Bonitatis tuæ tanquam stilla roris dispeream in me & maneā in Te. Da mihi toto Corde amare Te, totâ animâ adhærere Tibi, omnibus viribus servire & laudare Te. Da juxta Cor tuum vivere & mori.

Post Communionem.

REvocanda in memoriam Resurrectio Christi, postuleturq; Gratia quæ excitet, & ab omnibus peccatis ac tepore Te resurgere faciat.

Sub tempus Benedictionis.

Habenda memoria Ascensionis Christi in cælum petenda ab illo Benedictio.

BEnedic bone IESV animæ meæ, benedic omnibus necessitatibus & occupationibus meis, ut Tuæ Gloriæ omnia serviant. Benedicat nos omnes. Pater & Filius & Spiritus Sanctus cælesti benedictione.

Ad Finem Sacri gratiæ agantur

Deo pro commoditate audiendi Sacri & eliciatur dolor pro defectibus commissis in auditione tam tremendi Sacrificij.

PRAXIS III.

A Communicaturis usurpanda.

Intentio pro Communione.

VOlo communicare ut gratias agam pro Institutione Eucháristiæ Sacramenti nomine totius generis humani, & affectu totius Ecclesiæ.

Volo communicare ut viva Fide profitear esse DEUM & Hominem cum corpore & anima & Sangvine suo pretioso sub speciebus Eucharisticis.

Volo communicare ut gratias agam Tibi DEO meo pro omnibus gratijs, & donis in usu Eucharistiæ à me & à quocunq; Hominum perceptis, atq; in Animam meam & aliorum à tua Bonitate profusis. Vellem autem ad

hanc Communionem afferre Cor Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, Corda SS. Apoſtolorum & omnium piè ac devote communicantium.

Volo communicare ut hac Communione compenſem omnes contemptus, blaſphemias, conculcationes, quas o IESV in Euchariſtia abſcondite ſuſtines ab Ethnicis, ab Hæreticis, ab Hominibus malitioſis & Sacrilegè Te ſuſcipientibus, & in vim recompenſationis offero Tibi omnes adorationes, laudes, amorem, obſequia quæ habes à Sanctis Angelis & alijs Creaturis tuis.

Volo Communicare ut mihi Gratiam DEI, Fidem, Spem, & Charitatem; aliaſq; Virtutes adaugeam, utq; aptior ad amorem & laudem DEI evadam.

Volo communicare ut per hanc Communionem feram Suffragium & auxilium Animabus Purgatorij, Sanguineq; IESV reſtingvantur ardores ignis quos illæ patiuntur.

Volo

Volo communicare ut omnibus in peccato mortali existentibus impetrem Contritionē & resipiscentiam veramq; & salutarem pœnitentiam de peccatis.

Volo communicare ut omnibus afflictis impetrem fortitudinem & Patientiam congruaq; solatia, Tentatis victoriam, Ægris Sanitatem, Agonizantibus Perseverantiam finalem in gratia Sanctificante, captivis & Incarceratis eliberationem, Innocentibus præservationem à corruptela.

Volo communicare ut mihi & alijs impetrē robur & fortitudinem ad vincendas tentationes. Volo Cōmunicare ut totus Commuter in te, & Vivam ego, jam non ego, sed tu vivas in me.

Volo communicare ut vitam habeam & abundantius habeam, moriaturq; in me omnis, concupiscentia & vivat tuus Amor.

Volo communicare ut impetrem dona Statui meo necessaria, illaq; omnia quæ Tu scis, & vis me posse & debere petere à Te.

Dum

Dum Sacerdos descendit Ad Introitum.

Cogita te esse in medio trementium, & humiliantium se coram DEO, ac pœnitentium de peccatis.

Elicias Actus Sequentes.

Actus Timoris, & Humilitatis, Doloris, Confeßionis.

EN o Rex tremendæ Majestatis totus contremisco ante Te & pavens procido ante Faciem tuam. Quis enim non timeat Te! coram quo contremiscunt Columnæ cæli, sub quo curvántur, qui Orbem portant. Timeo Te tanquam vilissima Portio creaturæ tuæ Creatorem meum.

Timeo Te tanquam rebellis toties subditus tuus Te Regem meum. Timeo Te tanquam miles transfuga Potentissimum Ducem meum. Timeo tanquam Servus inutilis optimum

Do-

Dominum meum. Timeo tanquam ingratiſſimus pro tot Beneficijs acceptis, Te Liberaliſſimum Benefactorem meum. Timeo tanquam Filius Prodigus Te Patrem amantiſſimum. Timeo tanquam Ovicula errans Te Paſtorem vigilantiſſimum. Timeo tanquam reus tot ſcelerum, Te DEVM Iudicem meum Iuſtiſſimum. O Domine quomodo audebo etiam levare oculos meos ad Te, quomodo præſumam introire ad Altare tuum, Abijcio me potius infra omnes creaturas, infra inferos, infra Pedes ipſius Luciperi, recognoſcens vilitatem & peccata mea. Quis mihi dabit fontem lacrymarum, ut eluam & deplorem omnia delicta mea. En illas quantum poſſum copioſiſſimas Cordiales fundo, & doleo ex toto Corde meo de omnibus totius vitæ meæ peccatis, unice ob ſolam tuam Bonitatem quia Te tam Summum Bonum aliquando offendi, utinam nunquam offendiſſem, Pænitet me peccaſſe, Con-

Confiteor Tibi DEO meo, confiteor Beatiſſimæ Virgini MARIÆ & omnibus Sanctis quia peccavi nimis cogitatione verbo & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa, Ideo precor Beatiſſimam & omnes Sanctos, ut pro me tuam deprecentur Majeſtatem.

Et cum Publicano pono os meum in Pulvere vilitatis meæ, ac in Corde contrito clamo.

DEVS Propipitius eſto mihi peccatori. Vellem Domine mi omniumPænitentiũ, quiTibi aliquando placuerunt habere dolorem & lacrymas, vellem in ijs eluere omnes maculas Animæ & corporis.

O Domine qui reſpexiſti Petrum peccantem & ad lacrymas excitaſti, reſpice in me & miſerere mei, educ de hac Petra duri Cordis mei Fontem lacrymarum, ut defleam imperfectum meum, & lugeam delicta mea.

Dum Sacerdos Aſcendit ad Altare.

ACTVS SPEI.

AGnoſco quidem vilitatem & indignitatem meam, ob quam nec ſpectare Te, nec cogitare de Te mereor, in Eucheriſtiæ Sacramento abſcondito, quia tamen pijſſima dignatio & Bonitas tua erigit me ad Spem & Fiduciam concipiendam, ideo Te ſic volente accedo ad Te venerabundus, & ſpem omnem ac Fiduciam meam repono in Miſericordia tua o DEVS meus, in Sangvine, Meritis, Paſſione ac morte Domini IESV Chriſti, cujus memoriale eſt, hoc Miſſæ Sacrificium, Confido Domine IESV illi Benignitati tuæ cum qua Tu omnes Peccatores ad Te venientes recipiebas, cum illiſq; manducabas, en & ego peccator maximus venio ad Te petens recipi à Te, neq; unquam ſeparari à Te, Confido illi

Benignitati cum qua Tu dixisti, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, en in toto Corde convertor ad Te, & advolutus Plantis tuis rigo Sacrosanctos Pedes tuos lacrymis meis. Ingemisco tanquam reus, Culpa rubet vultus meus, Supplicanti parce DEVS. Confido illi Benignitati cum qua Tu invitas, ad Te omnes, dicendo: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* In hac, ex hac, & cum hac Spe Benignitatis & Bonitatis tuæ accedo ad Te, ut applicem mihi tuam Benignitatem, tuam bonitatem, tuum Sangvinem, tua merita, tuam Passionem, & abluam me in Sangvine tuo. Ne proijcias me à Facie tua, ne excludas à mensa Sacramentali, quemadmodum etiam catelli edunt de mensis Dominorum suorum, ne repellas à Pedibus, sub quibus pono me, cum Magdalena ut scabellum Pedum tuorum. Suscipe hunc Filium prodigum Pater Misericordiarum,

rum,

rum, & fac me non jam vitulo, sed tuo Sacratissimo Corpore satiari.

Dum dicitur. Gloria in excelsis.

Cogita Sanctos Angelos & Beatos Cælites adorare, & laudare Christum in Sacramento Eucharistiæ. & dic.

ADoro & ego laudo, & benedico Te Domine IESV Christe in hoc Eucharistiæ Sacramento, adoro tuam Sapientiam quæ tam admirabilem modum invenit nobiscum permanendi. Adoro tuam Omnipotentiam tot Miracula patrantem in hoc Sacramento: Adoro tuam Bonitatem nobis se benignè communicantem. Tuam misericordiam nostræ miseriæ subvenientem. Adoro tuam Puritatem nostras sordes emundantem. Adoro tuam Sanctitatem nostras animas sanctificantem. Adoro tuam Divinitatem nostram infirmitatem sublevantem. Adoro tuas omnes Perfectiones hic specialiter in Sacratissimo Sacramento

 exi-

existentes, Adoro autem, laudo benedico, exalto, magnifico toto me, toto Vniverso, toto Cælo, sicut & quantum scis & vis me posse & debere.

Sub tempus Orationum.

Cogita quo fervore & devotione Sancti omnes orabant ante susceptam Communionem, & dic,

ASsumo Domine Omnium Sanctorum tuorum Orationes, Affectus, Devotiones, Fervorem quibus Affectibus Devotione & Fervore illi accedebant ad Sacram Mensam tuam, in omni eo Affectu & devotione accedere ad Te cupio, atq; illa omnia à tua Majestate implorare volo & impetrare, quæ hodierna die Sancta Mater Ecclesia impetrare intendit Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium Tuum, qui tecum vivit & regnat in Vnitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sub

Sub Tempus Lectionis, Evangelij, & Credo.

ACTVS FIDEI.

PRima ac Infallibilis veritas DEVS credo in Te, & Tibi, propter Te, & veracitatem tuam infallibilem, credo omnia quæcunq; mihi per Sanctā Matrem Eccleſiam credenda propoſuiſti de hoc Sacramento quod ſuſcipere deſidero. Credo Domine per verba Conſecrationis fieri inenarrabilem trans ſubſtantiationem Panis & Vini in Corpus & Sangvinem tuum pretioſum. Credo ſub tota ſpecie Panis & Vini eſſe Te totum DEVM & hominem, & ſub minimis Particellis Panis & Vini. Credo in Euchariſtiæ Sactamento eſſe accidentia ſine ſubjecto. Credo Te DEVM & Hominem eſſe abſconditum ſub ſpeciebus Euchariſticis. Credo quidquid DEI Filius, hoc Verbo veritatis nihil verius dixit

&

& Protestor quod in hac ex hac & cum hac Fide communicare velim, ad protestandam & exercendam hanc Fidem meam in Vnione Fidei Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Sanctarum Virginum atq; omnium Sanctorum & totius Ecclesiæ.

Sub tempus Offertorij.

Cogita omnes Sanctos ardentissimis affectibus offerre corda sua Deo in sacrificium. & dic.

IN hac Patina depono Domine inflammatissima Amore Tui Corda omnium Sanctorum tuorum, & inter illa repono & gelidissimum Cor meum, Tibiq; offero in Sacrificium, accende illud igne amoris Tui, & suscipe in tuum obsequium ut Tibi soli serviat, Te amet in æternum. Depono & corda omnium Consangvineorum, Amicorum, Benefactorum, Fratrum, desiderans ut illi omnes ament Te, toto corde &

de & viribus suis, & in toto corde suo serviant Tibi omnibus diebus vitæ suæ. Da illis hanc gratiam Domine propter Bonitatem & misericordiam Tuam infinitam.

Dum Sacerdos lavat manus.

DEmergo & ego me in Sangvine tuo Domine IESV CHRISTE & in lachrymis omnium pænitentium. Tu amplius lava me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me ut sic purificatus, emundatus accedam ad Mensam Convivij tui. Colligo Sangvinem de Capite tuo defluentem, & eluo mentem & caput meum omnesq; cogitationes meas. Colligo Lachrymas de Oculis tuis una cum Sangvine defluentes & eluo oculos meos. In Sangvine Aurium tuarum eluo aures meas. In felle, aceto, & siti Oris tui, eluo lingvam & os meum. In Sangvine Manuum tuarum, eluo manus meas. In Sangvine & Aqua de La-

tere

tere tuo profluente, eluo cor & omnia viſcera mea. In Sangvine de toto Corpore tuo defluente eluo omnes maculas corporis & ſenſuum meorum. Tu aſperges me hyſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Sub tempus Præfationis ad Sanctus.

Cogitabis totam Eccleſiam Triumphantem & militantem, ardentiſſimo cordis affectu ferri in DEUM, eiq; gratias agere & canere Sanctus &c. & dic.

RΕcognoſco & ego Domine DEVS cum tota Eccleſia innumerabilia Beneficia tua, quæ de Pijſſimo miſericordiæ tuæ ſinu effundis in nos, Tibiq; quanta poſſum maxima cordis mei amplitudine, & ſubmiſſione, Affectuſq; intenſione gratias ago pro omnibus beneficijs ſpecialiter autem pro inſtitutione ac uſu Euchariſtiæ Sacramenti. Vere dignum & juſtum eſt æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubi-

& ubiq; gratias agere pro tanta dignatione & pietate tua, quam nobis præstas in missæ Sacrificio & Communione. Benedictus sis Domine in æternum & benedicta sit in æternum bonitas tua infinita. Cum omnibus Angelis Archangelis, Thronis, Dominationibus, cum Virtutibus, Cherubim & Seraphim & cum omni militia cælesti omnibus Sanctis tuis, laudantibus Te, laudo, cum omnibus admirantibus admiror, cum omnibus benedicentibus, benedico, cum omnibus adorantibus, adoro, cum omnibus amantibus Te, amo, cum omnibus desiderantibus Te, desidero, cum omnibus concinentibus Tibi, concino, Sanctus, Sanctus, Sanctus, DEVS Sabaoth, rogans per omnes miserationes tuas ut me tuo Sacratissimo Corpore & Sangvine sanctificare & consecrare digneris.

Sub Memento Vivorum.

Orandum specialiter pro omnibus

Com-

Communicaturis, tum in toto Orbe, tum unà tecum, ut Sanctè, reverenter ac mundo corde accedant ad mensam cælestis Convivij.

Ante & in ipsa Elevatione Hostiæ & Calicis.

Convocabis omnes vires & potentias tuas imò & omnes creaturas ad adorandum Christum in Sacramento, dicens.

VEnite omnes potentiæ, vires, & atomi substantiæ meæ, adoremus, & procidamus ante DEVM, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus DEVS noster: nos autem Populus ejus & Oves pascuæ ejus.

ADoro Te devote latens Deitas,
Quæ sub his Figuris vere latitas
Tibi se cor meum totum subijcit.
Quia te contemplans, totum deficit
Visus, tactus, gustus in te fallitur.
Sed auditu solo, tutò creditur.

Credo quid quid dixit DEI Filius,
Nihil hoc verbo veritatis, verius.
In Cruce latebat ſola DEITAS,
At hic latet ſimul & Humanitas.
Ambo tamen credens atq; confitens,
Peto, quod petivit latro Pænitens.
Plagas ſicut Thomas non intueor;
DEVM tamen meum Te confiteor.
Fac me Tibi ſemper magis credere
In Te ſpem habere, Te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præſtans Homini,
Præſta meæ menti de Te vivere.
Et Te illi ſemper dulce ſapere.
Pie Pelicane IESV Domine,
Me immundum munda tuo ſangvine
Cujus una ſtilla Salvum facere,
Totum mundum quit ab omni ſcelere
IESV, quem velatum nunc aſpicio
Oro fiat illud quod tam ſitio,
Vt Te revelata cernens Facie
Viſu ſim Beatus tuæ gloriæ Amen.

Poſt memento mortuorum, in quo po-
tiſſimum pro illis orandum eſſet, qui

illas pænas patiuntur, pro negligenti usu SACRAMENTI Euchariſtiæ, eliciatur

ACTVS DESIDERII.

DEſidero Te Domine IESV CHRISTE ſuſcipere in hoc SACRAMENTO Fame ac deſiderio omnium Sanctorum tuorum. O quis mihi tribuat illud deſiderium, quo omnes Angeli deſiderant in Te proſpicere! quo omnes Animæ purgatorij anhelant ad Te videndum, quo affectu & fervore ſuſcipiebant Te omnes Electi tui ab inſtitutione hujus SACRAMENTI; quo nunc ſuſcipiunt & uſq; ad Conſummationem ſæculi ſuſcepturi ſunt. Quid mihi eſt in Cælo, & à Te quid volui ſuper univerſam terram præter Te, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. In Te eſt plenitudo omnis perfectionis & ſanctitatis, in Te abyſſus omnis boni. Totus es mihi deſiderabilis ô bone IESV Deſiderabilis eſt mihi tua Divinitas cui omnia ſubſunt ut & ego

totus

totus tuus abhinc ſim, non amplius meus, aut alicujus rei terrenæ. Deſiderabilis tua Omnipotentia, quæ etiam de lapidibus poteſt ſuſcitare Filios Abrahæ; ut & ex me peccatore, faciat Tibi ſervum fidelem. Deſiderabilis tua bonitas, per quam meliorari cupio. Deſiderabilis tua ſapientia, quæ meam ignorantiam inſtruat. Deſiderabilis tua pulchritudo, per quam mihi omnes terrenæ pulchritudines deformentur. Deſiderabilis tua puritas, per quam emundari & depurari ab omni ſorde & affectione omnium rerum terrerrenarum deſidero. Deſiderabilis tua Humanitas, in quam deſiderant omnes Angeli proſpicere. O quando venies? quando apparebo ante Faciem tuam! ô centrum amoris mei, & meta Cordium ac Finis omnium rerum, tædet me vivere extra Te, ad Te unice ſuſpiro. Te eſurio, & ſitio, ad Te pervenire, in Te quieſcere ardenter concupiſco. Quemadmodum deſiderat cer-

vus

vus ad Fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te Deus. Sitivit anima mea ad Deum Fontem vivum, quando veniam & apparebo ante Faciem Dei. Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi, defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: quando consolaberis me. Ostende Te mihi Consolator meus. Videam Lumen oculorum meorum. Videam te gaudium spiritûs mei. Videam te lætitia cordis mei. Diligam te vita animæ meæ. O vita cui omnia vivunt, vita quæ das mihi vitam, vita quæ es mea vita; vita, per quam vivo, sine qua morior, vita, per quam resuscitor, sine qua pereo, vita, per quam gaudeo sine qua tribulor.

Ad Pater noster.

O Pater æterne, qui sic dilexisti mundum ut illi Filium Tuum Vnigenitum dares, da mihi nunc eundem, cum

cum illa affluentia donorum, ſicut il-lum toti mundo dediſti.

O Fili DEI Vnigenite, qui de ſinu Patris deſcendiſti in uterum Virginis, deſcende in cor meum cum illa copia gratiarum qua repleviſti Matrem tuam Sanctiſſimam.

O Spiritus Diviniſſime, da mihi eo affectu ſuſcipere Corpus Christi, quo affectu illud aptaſti in Vtero Virginis. Veni Sancte Spiritus, & emit te cælitus, Lucis tuæ radium. Veni Pater pauperum, Veni dator munerum, veni lumen cordium.

Pater noſter. Deſidero Te Domine IESV Chriſte ſuſcipere Filiali affectu in hoc Sacramento, quo dilecti Filij ſuſcipiunt dilectos Patres ſuos. O utinam illis omnibus affectibus Te complecti poſſem quo Te recipiunt omnes primum venientes in cælum. Pater qui es in cælis. Deſidero autem Te ſuſcipere ut Sanctificetur Nomen tuum in me, per me, & per omnia mea.

San-

Sanctificetur etiam corpus & anima mea per Corpus & Sangvinem tuum pretioſiſſimum.

Adveniat regnum tuum. Deſidero Te etiam ſuſcipere, ut Tu regnes in me. Non Regnet in me peccatum, non regnet vanitas, non regnet in me Spiritus immundus, ſed Tu ſis Rex meus & DEVS meus.

Fiat Voluntas tua. Deſidero item Te ſuſcipere ut conformem me tuæ Sanctiſſimæ Voluntati, vellem autem eo affectu, devotione, reverentia, Puritate, Sanctitate, humilitate, deſiderio, Te recipere in hoc Sacramento quo Tu ſcis, & vis me poſſe & debere.

Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie. O Domine quanta dignatio tua, qui voluiſti fieri, Cibus & Panis noſter! Ah deſidero omnium Famem, ſitim, orexim & deſideria habere ad Te ſuſcipiendum & dignè manducandum.

Dimitte nobis debita noſtra. Dimitte

his

his Domine, quos pascis Sanctissimo Corpore tuo.

Sicut & nos dimittimus. Et ego Amore tui omnibus dimitto, omnesq; in Te deprecor quos aliquando offendi vel a quibus offensus sum.

Et ne nos inducas in tentationem. O Domine timeo malitiam meam, & diffido proprijs Viribus meis, Tu es Spes mea ab utero Matris meæ. Tu mihi da gratiam quæ me præservet ab incursu periculosarum tentationum. Tu da mihi Te ipsum, & sub umbra alarum tuarum protege me. Sis mihi scutum inexpugnabile, contra tela inimici.

Sed libera nos à malo. Ab omni quidem, sed præcipue à malo & tepido usu Eucharistiæ.

Ad AGNVS DEI.

AGnus DEI qui tollis peccata mundi miserere nobis, liberans nos & præservans ab omnibus miserijs Spi-

ritualibus præsertim culpæ & pœnæ, eorumq; quæ à culpa nascuntur, prout sunt motus inordinati Passionum, Habitus pravi, tepiditas in obsequio DEI, inconstantia in bene cœptis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miserere nobis, liberans nos & præservans à miserijs Temporalibus, impedientibus nos in via DEI & Cultu ejus:

Agnus DEI qui tollis peccata mundi dona nobis Pacem, tum cum DEO per bonam Conscientiam, tum cum domesticis per vitam quietam, tum cum Externis per Vitam ædificativam & sermones Spirituales.

Ad Domine non sum dignus.

DOmine: Omnipotens supreme DEVS, Te solum agnosco proprium Dominum meum, non dominetur igitur mihi per gratiam tuam omnis injustitia, servus tuus sim ego in æternum, & mancipium tuum.

Non

Non sum: Confiteor & in veritate Cordis mei recognoſco ante Te, meum nihilum, nihil ſum Domine ex me, nihil poſſum, ad nihil valeo, tua ſunt omnia, quæcunq; habeo, vel poſſideo, Tibi ergo ex omnibus laus & honor, mihi confuſio faciei.

Non ſum dignus Scio Domine vilitatem & indignitatem meam, propter quam me annihilo, vilifico, & infra omnes abyſſos abijcio, Si enim S. Ioannes Baptiſta in ventre Matris Sanctificatus, tot meritis à Pueritia cumulatus, ita DEO unitus & innocens, non reputat ſe dignum qui tangat Te, aut ſolvat corrigiam calceamenti tui, quanto magis, ego, qui in peccatis conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea, in peccatis natus, in peccatis adolevi, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. S Petrus Apoſtolorum Princeps præſentiam tuam in navicula ſua extimeſcens dixit: Exi à me Domine quia Homo

peccator sum. Centurio indignum se ducit, sub cujus tectum intres; & quomodo ego tot peccatorum meorum conscius audebo Te non tantum tangere, sed etiam intra me accipere; & manducare. O Domine non sum dignus.

Sed tantum dic Verbo tuo. Dic illo pientissimo Verbo, quo omnes miseriæ meæ recedant à me, & veniant omnia bona & benedictiones Tecum. Dic verbo, quo sanes me, Sanctifices me, exornes me, dignum Adventu & Præsentiâ tuâ efficias.

Et sanabitur Anima mea. Spera in DEO Anima mea, quod per ejus Præsentiam sanaberis ab obmnibus infirmitatibus tuis. Si enim Mulier pluribus annis patiens fluxum Sangvinis ad contactum fimbriæ vestimenti ejus, ex illa hora salva facta est. Si Adolescens mortuus, ubi IESVS tetigit loculum, revixit.

Si alij omnes, qui tangebant eum, sana-

ſanabantur à langvoribus ſuis, quid ni ego, intra me ſuſcipiens hunc ipſum Salvatorem meum ſaner à langvore meo, reſuſciter à morte peccati, reviviſcam per gratiam ejus. Spero Domine, & tuæ infinitæ Bonitati confido, & in hac ſpe accedo ad Te.

Alij Actus.

O Bone IESV, Tu dives es in omnes qui invocant Nomen tuum, veni, dita hanc extremam inopiam & miſeriam Animæ. Ego famelicus ſum, Tu Panis vivus & vitalis. Veni & ſatia me Corpore tuo, ita, ut non eſuriat Anima mea, niſi Te ipſum, de quo edit.

Sitibundus ſum, Tu Fons omnis dulcedinis, veni refrigera ſitim meam, & da, ut abhinc non ſitiat Anima mea, niſi Te ipſum, de quo bibit.

Immundus ac impurus ſum, Tu Fons omnis puritatis, veni purifica, emunda, exorna Cor meum, quis

enim mundum de immundo poteſt efficere, niſi Tu qui idem ipſe es. O IESV Virgineæ Caſtitatis Amator & Auctor per omnes miſerationes tuas peto, Cor mundum crea in me, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis, ne proijcias me à Facie tua, & Spiritũ Sanctum tuum ne auferas à me.

In ipſa Communione.

O Amor mi IESV dulciſſime quis mihi det nunc omnium ſubmiſſionem, reverentiam Tui, vivam Fidem, firmam ſpem, ardentemq́; Charitatem in Te, quis det omnium inflammatiſſima Tui Amore Corda, his omnibus affectibus, ore & Gorde ſuſcipere Te deſidero, & actu intra me recipio. Tu es ignis qui ſemper ardes & nunquam extingveris, accende gelidũ Cor meũ ignita vi amoris Tui.

Poſt Communionem.

Actus Subjectionis & Adorationis.

Ama-

AMabiliſſime Hoſpes Animæ meæ IESV Chriſte, occurro Tibi cum omnibus potentijs Corporis & Animæ meæ, Teq; ſupplex ſaluto & adoro illis affectibus, quibus Te ſalutabat & adorabat Pretioſiſſima Parens tua Incarnatum, de Cruce in ſinum ſu-um depoſitum, redivivum, ac in Eu-chariſtiæ Sacramento Te ſuſcipiens. Saluto Te & adoro illis affectibus qui-bus Te ſalutant & adorant omnes San-cti, primo venientes ad Te in cælum; quibus Te ſalutarunt & adorarunt, ſa-lutant & adorant, ſalutabunt & ado-rabunt omnes ſuſcipientes Te, & ſu-ſcepturi ad conſummationem ſæculi, in hoc Euchariſtiæ Sacramento, lau-detur Sanctiſſimum Sacramentum.

Actus Æſtimationis & Amo-ris Chriſti.

IESV dilectiſſime æſtimo & amo Te ſuper omnia, æſtimo Te ſuper o-mnes

omnes divitias, quas abjuro per votum Paupertatis, quo me Tibi DEO meo obligare cupio, Tu me ad illud rite emittendum præpara, ac in eo conservando adjuva o IESV Pauperrime, Te super omnes voluptates, quas abjuro per Votum Castatatis, quo me Tibi desponsare æternum desidero, Tu me ad hoc votum emittendum dispone, & in eo confirma. Diffunde Fontem puritatis in corpus & Animam meam ut Tibi castissimè deserviam omnibus diebus vitæ meæ. Æstimo & amo Te super omnes honores, quos abjuro per Votum obedientiæ, per quod Tibi voluntatem & Intellectum meum Sacrificare volo. Tu me ad hoc Votum dispone, & ad id perfectissime exequendum confirma. O IESV obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis. Æstimo autem & amo Te, quã. tum est ex me, summe intensive, summe extensive, summe appretiative, appretiando Te super Famam, Honorem,

rem,

rem, Amicos, & vitam meam, & super omnia creata & creabilia, temporalia & æterna. Protestorq; coram te, malle me his omnibus privari, quam privari Te tuaq; Gratia. Amo Te Domine IESV Christe, toto me, toto Vniverso, toto Cælo, toto Te, sicut, & quantum scis & vis, me posse & debere. Amo Te secundum totam amativitatem meam, vellem etiam si possem, secundum tuam totam amabilitatem. O IESV Amabilissime amplector te affectu Beatissimæ Virginis Matris tuæ, affectu Omnium Electorum tuorum, gaudeo quod ab omnibus illis lauderis, & ameris perfectè. O omnes Electi DEI vos amate, vos laudate, vos Magnificate hunc Dominum meum, mecum, ac pro me, Laudemus & exaltemus Nomen ejus in idipsum.

Tu scis Domine quia amo Te, imo scis quia non amo Te, etiamsi ex omni parte debeam amare te, Desidero ta-

ſamen amare Te, quoniam tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus, Tu ſolus Altiſſimus, Tu ſolus digniſſimus omnium crèaturarum amore. Supplete vos ardentes Cherubim, tu ardentior Cherubinis Virgo, quidquid deeſt amori meo, ô vivam! ô moriar! amore tui JESV mi, imo moriar potius quàm Te non amem, diſplicet mihi & vita ſi ſit ſinè amore Tui.

Gratiarum Actio.

Liberaliſſime Domine quid ego Tibi promerui, quòd Tu de me ab æterno cogitaſti, quòd me de nihilo creaſti, pro me redimendo incarnari, naſci, laborare, pati, ac mori voluiſti, quòd me ad hanc uſq; diem conſervaſti, mundo, per hunc Religioſum ſtatum ſubtraxiſti, tot gratijs naturalibus, & ſupernaturalibus præveniſti, & adjuviſti, toties non lacte ut mater, ſed Corpore tuo Sacratiſſimo reficis, & nunc refeciſti. Gratias ago

Tibi

Tibi Domine pro omnibus beneficijs tuis in me collatis, maximè autem pro hoc, ad me hodierno die deſcenſu, Benedictus ſis in æternum, & Benedicta ſit in æternum Bonitas tua infinita. Gratias ago Tibi totó me, toto univerſo, totô cælo. Invito omnia opera tua ad Benedicendum Tibi. Benedicite omnia opera Domini, Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt Nomini Sancto ejus. Benedic anima mea Domino & noli oblivisci retributiones ejus. Sit Nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & uſq; in ſæculum. Benedictio, claritas, gratiarum actio, honor, & gloria tibi Deo meo, in ſempiterna ſæcula, Amen.

Oblatio ſui.

QVid ergo retribuam tibi Domine pro his omnibus, quæ tu tribuiſti, mihi? en Domine non ſolùm di-

midium bonorum, ſed etiam omnia bona mea, ac me ipſum, totaliſſimè, & ex integro trado tibi. Suſcipe Domine univerſam libertatem meam, accipe memoriam, & imple te ipſo, ut te DEO meo plenus vivam in æternum. Accipe intellectum, & amove tenebras ab eo, tuoq; lumine illuſtra, ne ambulem in tenebris, ſed in lumine claritatis tuæ dirigantur omnes greſſus vitæ meæ. Accipe voluntatem, & tibi effice ſubjectiſſimam, ut nihil aliud velit, niſi quod tu vis, nihil aliud nolit, niſi quòd tu non vis. Accipe corpus, ut ſit tanquam jumentum tuum, tibiq; ſoli laboret; accipe animam, ut tibi ſoli, totis viribus ſuis, & capacitate adhæreat, Tibi obſequatur. Accipe omnia, quidquid habeo, vel poſſideo, tu mihi largitus es, id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum, amorem quæſo tui, ſolùm, cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud

ultra quidquam posco. Totus sum tuus, eroq; in æternum, sicut tu totus meus esse voluisti. Sed quid? hæc omnia? indigna sunt conspectu tuô; indigna gustu tuô, ecce ergo accipio, usurpo, & te permittente, mihi approprio affectus omnium Electorum tuorum & ipsius Sanctissimæ Virginis Matris tuæ, sive elicitos, sive per totam æternitatem eliciendos, Tibi præsento & offero. Si & hæc parva sunt, offero tibi affectum ipsius Sanctissimæ TRINITATIS, quo in te fertur Pater æternus, & tu in Patrem æternum, quô in te fertur Spiritus Sanctus, & tu in Spiritum Sanctum, quô tu teipsum amas, te laudas; delectare bono tuo, qui bonorum meorum non eges.

Affectus Petitionis.

BOne IESV Tu venisti ad me, qui veniens in domum Zachæi benedixisti domui ejus, qui obibas vicos benefaciendo & sanando omnes, & ad me

ad me veniens sic me pauperem, sic nudum, sic infirmum, sic cæcum, sic immundum relinques, sicut me invenisti, en advolvor plantis tuis, illasq; stringo, nec dimittam te, donec tu benedixeris mihi. Benedic quæso cordi meo, ut te solùm diligat; Benedic memoiæ meæ, ut te provideat in conspectu suo semper; benedic intellectui, ut illuminetur, & non erret, benedic vo'untati, ut tuæ conformetur, benedic omnibus animæ facultatibus, ne te unquam offendant. Da mihi remissionem omnium peccatorum, da, si hoc tibi placet, moralem impeccabilitatem; confirma me in gratia tua, da dona congrua statui, & munuijs, da illa omnia, quæ tu scis, & vis, me posse, & debere petere à te.

Ad Sanctissimã TRINITATEM.

O Sanctissima, & adoranda TRINITAS, DEVS PATER, & FILI, & SPIRITUS Sancte, adoro te per hoc Sacra-

cramentum, tanquam compendium omnium mirabilium tuorum. Adoro te PATER æterne per IESVM CHRISTUM in Spiritu Sancto, tibiq; humillimè gratias ago quòd me corpore dilectissimi Filij tui satiasti, ecce ego ille debitor sum qui tot tibi debita contraxi, patientiam habe in me, & ego reddam tibi omnia, non de meo quidem, de tuo tamen. Offero tibi Corpus & Sangvinem, merita, Passionem, & omnes dolores, & satisfactiones Filij, pro peccatis meis. Offero tibi illum totum ad placandam Majestatem, implorandamq; misericordiam tuam. Respice in Faciem Christi Tui, & miserere mei, ac totius Regni, & domûs in qua maneo, omnniumq; habitantinum in ea. Accedo ad te FILI DEI Vnigenite, & te ipsum, pro te ipso, tibi ipsi offero. Deprecor te de omnibus negligentijs meis in hac Communione admissis, & illas suppleo affectibus omnium Electorum

tuo-

tuorum. Accedo ad te o Spiritus Sancte DEVS, tibiq; gratias ago, quòd me per hoc Sanctissimum Sacramentum sanctificaveris. Benedicta Sit Sancta TRINITAS, & indivisa Vnitas, confitebimur ei, quia facit nobiscum magnam misericordiam suam.

Potest etiam per omnes corporis & animæ potentias Christus deduci, & miseriæ propriæ eidem exponi, rogando, ut ille dives Dominus ditet omnia, & subveniat omnibus indigentijs.

PRAXIS IV.

AUDIENDI SACRUM

Ab emissuris vota, aut eadem renovaturis.

Prodeundo ad Missæ Sacrificium, in quo oblaturus es Vota tua DEO, aut eadem renovaturus, cogita te quolibet gressu calcare mundum, & omnem fastum ejus, conculcare honores, ac ho-

norum tam sæcularium quam spiritualium insignia, proculcare carnem cum sua concupiscentia; dæmonem cum sua malitia; proculcare te ipsum cum amore tui inordinato & dic.

EN ego Domine DEVS meus relinquo & contemno mundũ, renuntio omnibus ejus vanitatibus curro ad te per conculcata omnia terrena, per spretos honores, abjuratas, voluptates, projectas divitias. Tibiq; me totum sacrificare volo. Servus tuus, & totus tuus sum ego, non amplius meus, non amplius mundi, aut ullius rei creatæ. Quis similis Tibi Domine? quis similis Tibi? quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram præter te Deus cordis mei & pars mea DEVS in æternum.

Invita omnes SS. & præsertim Religionis Tuæ ut Tibi assistant, & te juvent in emittendis aut renovandis votis.

Ima PARS MISSÆ.

Confessio, Introitus, Gloria.

ACTVS EXERCENDI.

Dum Sacerdos descendit ab altari, eliciatur actus depressionis & abjectionis sui infra pedes ipsius luciperi, in abyssum nihili, vilitatis, ruinositatis ac peccaminositatis suæ.

O Domine Creator & factor meus agnosco coram te, & omni Creatura tua meam vilitatem, cæcitatem, infirmitatem. agnosco quia mihi nihil sum nisi dux in præceps, pondus in malum, stimulus in ruinam & perditionem. O Deus meus qui es virtus & fortitudo mea, qui es lumen oculorum meorum, emitte lucem tuam & veritatem tuam quæ me deducat & adducat usq; ad te. Tu solus metiri potes universum nihilum meum, serva me quæso in continua cognitione, confessione ac confusione nihili

mei

mei & secundum magnam misericordiam tuam miserere mei, sicut scis, vis & potes. Abyssus vilitatis, nihileitatis miseriarumq; ac ruinositatum meorum, invocat te abyssum Bonitatis & miserationum.

Sub Confiteor.

Revocentur in mentem peccata tum sæcularis, tum Religiosæ vitæ, eorum fiat detestatio, eliciaturq; dolor animi, affectu omnium pœnitentium & multis lachrymis eluentium delicta sua.

DIgnissime DEVS, summum ac omne bonum meum tibi soli peccavi, quem solum amare debui & malum coram te feci. Ah peccavi nimis cogitatione verbo & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Vtinam nunquam peccassem. Doleo de omnibus & singulis totius vitæ meæ peccatis, propter bonitatem, dignitatem, charitatemq; tuam divinam: propter vilitatem, malitiam, ingratitudinem

nem meam execrandam, nolo amplius peccare, volo omnes occasiones peccandi evitare, tentationibus fortiter cum ope gratiæ & misericordiæ tuæ resistere. Peto autem suppliciter per omnem sanctitatem voluntatis tuæ, per IESV Christi Redemptoris nostri Sangvinem, Passionem, Mortem, ut mihi omnes iniquitates meas condones. Tu Pater misericordiarum, & veniæ largitor miserere mei, & dimitte universa debita mea.

Precor & te ô Pientissima DEI Mater, omnesq; Sancti intercedite pro me ad Dominum DEUM nostrum, impetrate mihi vestras virtutes, vestram Sanctitatem, humilitatem, mansvetudinem, puritatem, vestrum fervorem in obsequio DEI.

Sub Gloria in excelsis.

Dicatur cum Sacerdote variis reflexionibus adjunctis. Gloria in excelsis DEO. *Ex contemptu mundi, rerumq; terre-*

terrenarum; ex depressione & mortificatione carnis, ex abnegatione voluntatis nostræ propriæ, Dæmonisq; & ejus operum abjuratione, per paupertatem, castitatem, & obedientiam quibus me in servum ac mancipium DEO devovere cupio.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Hanc bonam ego voluntatem supplex emendico à Tua Bonitate; ut fideliter, constanter Tibi Soli DEO meo adhæream, pleneq; subjiciatur & conformetur voluntas mea tuæ voluntati.*

Laudamus Te. *Omni laude & cultu dignissimum.*

Benedicimus Te. *Omnium benedictionibus.*

Adoramus Te, *tota profunditate submissionis nostræ.*

Glorificamus Te. *Cui soli honor & gloria ab omni Creatura.*

Gratias agimus tibi. *Etiam quod nos per hæc vota Tibi adstringi volueris, & à mundo abstrahi.*

Pro-

Propter magnam gloriam tuam. *Quæ Cælos & Terram impleat.*

Domine Deus, Rex Cælestis, Deus Pater omnipotens. *Nihil amplius in me potestatis habeat mundus, caro, dæmon, Tu Dominus meus & Rex meus, DEVS in æternum.*

Domine Fili Vnigenite IESV Christe Domine Deus, Agnus Dei Filius Patris. Qui tollis peccata mundi miserere nobis. *Sicut scis, vis, & potes.*

Qui tollis peccata mundi suscipe deprecationem nostram. *Vt nostra tollas peccata.*

Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. *Extrahens nos de miseriis nostris.*

Quoniam tu solus Sanctus, *& nos peccatores.*

Tu solus Dominus *& nos servi tui, nos populus & Oves pascuæ Tuæ.*

Tu solus Altissimus IESV Christe, *Quem ut lucrifaciam omnia arbitratus sum ut stercora.*

Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris, Amen.

2da PARS MISSÆ
Orationes, Epistola, Evangelium, Credo.

1mo Vota facturus aut renovaturus exerceat se in imploratione auxiliorum Dei, postulationeq; ac emendicatione gratiarum disponentium ad vota ritè emittenda, vel renovanda, quibus instructus & ornatus, gratior in conspectu Dei compareat.

DEVS, qui nos à sæculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis, accendis; pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, quâ tibi placeamus, & in te perseveremus, infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidijs, quod te donante promittere intendimus, hoc constanter impleamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum,

um,

um, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

2do Eliciat Actum Fidei, Spei, & Charitatis, in unione similium affectuum, quos alij, vota sua Deo offerentes elicuerunt, eliciunt nunc ubiq; terrarum; & elicient usq; ad consumationem sæculi.

3tio Protestetur, quod ex desiderio explendæ voluntatis divinæ, consiliorumq; IESV Christi, nec non assequendæ perfectionis Evangelicæ, ex studio imitandi Christum pauperem, contemptum, Crucifixum, Virgineæ castitatis Amatorem, & Auctorem, velit vota emittere, & illa cum DEI gratia fidelissimè observare.

3tia PARS MISSÆ.

Offertorium, lotio manuum, Orate fratres.

1mo Cum oblatione hostiæ & calicis, offerat seipsum Religiosus cum

cor-

corpore & anima, cumq; omnibus po-tentijs, in vivam Deo hostiam, ut hæc omnia Soli DEO dedicentur & serviant, per vota eidem consecranda, & roget, ut hæc oblatio sui per vota, ad Deum in odorem suavitatis ascendat.

2do Abluat se spiritualiter in Sanguine IESV Christi, & in lachrymis omnium pænitentium. Addat & suâ cordis dolorem ac lachrymas; addat totius Ecclesiæ satisfactiones, mortificationes, pænitentias, Sanctorum omnium suffragia, ut per hæc omnia emundatus, purior in oculis Dei, cum oblatione votorum suorum appareat.

3tio Implorabit orationes pro se tum à Societate triumphante & militante, tum à tota Ecclesia Christi, tum à fratribus circumstantibus, & sibi commanentibus.

4ta. PARS MISSÆ.

Secretæ Orationes, Canon. Memento.

1. POstulet à DEO intimam, ei soli notam, ac placitam, eoq; dignam, sui totius dispositionem ad Vota, divinæq; voluntatis plenissimam impletionem,

2. Induat affectum Sanctorum Angelorum, Omniumq; Electorum DEI, tam in Cælis, quam in terris DEVM laudantium, atq; totum se impendat in laudes & gratiarum actiones Majestati DEI, tota contentione Cordis clamando. *Vere dignum & justum est, æquum & salutare nos Tibi semper & ubiq; gratias agere* pro hac dignatione admissionis nostræ ad vota, Sanctus, Sanctus &c.

3. Oret Dominum, pro illis, qui se ad Societatem promoverunt, in ea instruxerunt, aut aliquando sibi profuerunt; imò etiam pro adversantibus sibi, ac se quovis modo affligentibus. Pro ijs qui eò tempore, ubivis per vota se dedicant DEO.

5ta. PARS MISSÆ.

Consecratio, Elevatio, Cruces, Memento.

1. CONsecrabit se, & consecrari petet efficacia Sacramenti & Sacrificij, mediantibus votis, quæ intendit emittere vel renovare, ita ut transmutetur in divinum, & sicut consecratione desinit substantia panis & vini, solusq; Christus manet sub speciebus; ita in Vovente desinat vetus homo cum defectibus, solus autem vivat Christus, quo vere dicere possit: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Ego totus tam quo ad Corpus, quam quò ad Animã, jam non sum meus; sed totus ex toto DEI mei ac Domini mei.

2 Postulet & gaudeat se totaliter ex mundi laqueis, & sui ipsius viscosi amoris vinculis extrahi, & ad DEVM elevari per vota, Corpori Sangvini, meritis, divinitatique unita

Christi. Tu dixisti Domine, cum exaltatus fuero, traham ad me omnia, trahe ergo & me ad Te, ut abstractus ab omnihus rebus terrenis, Tibi soli adhæram.

3. Gaudeat se votis crucifigi, & per IESV merita ac Crucem petat perseverantiam usq; ad mortem in hac religiosa Cruce.

4. Cogitet se per Vota mori carni mundo, & omnibus rebus terrenis, exultetq; quod adnumeretur mortuis sempiternis, quorum vita abscondita est cum Christo in DEO.

6ta. PARS MISSÆ.

Pater Noster, usq; ad emissionem Votorum.

I. Dicatur cum Sacerdote Oratio Dominica, cum reflexionibus ad Vota ordinatis. vg. *pater noster*, Non sit mihi alius in terris Pater, nisi tu solus; renuntio enim omnibus Paren-

rentum affectibus. *qui es in Cælû*. ibi & cor meum semper Tecum maneat. *Sanctificetur Nomen tuum*, Sub quo usq; ad mortem militare volo. *Adveniat regnum tuum*. Non amplius regnet mundus, caro, in Nobis, sed tuum sit regnum in anima, corpore, & sensibus meis. *Fiat Voluntas Tua*. Ob quam implendam mundum deserui, & me totũ per vota Tibi subjicere cupio &c. &c.

2. Dicendo cum Sacerdote. *pax Domini*, demergat se in Sangvinem Christi, abluendum, exornandum, ab solvendumq; petens ultimas & efficacissimas dispositiones ornamentaq; ad ad vota dignè faciendа.

3. Petat à Christo, qui voluit esse Agnus DEI tollens peccata, ut tollat per Sangvinem & merita sua, omnes maculas ab anima propria, & si quæ dahuc restant, impedimenta amoveat, ut pura mente & corde immolari per vota sua DEO valeat.

4. Confiteatur peccata sua, & in-

 di-

dignitatem suam. Domine non sum dignus etiam levare oculos meos ad te, quidni inter servos tuos numerari, ac per vota Sanctæ Societati tuæ aggregari. Agnosco indignitatem meam. Sed Tu qui verbo omnia efficis, dic verbo tuo, & sanabitur ac Sanctificabitur anima mea.

Moriar jam mihi, moriar mundo, moriar diabolo & Carni, vivam Tibi DEO meo, & Domino meo.

Votorum Nuncupatio.

Singula Verba formulæ cum magna reflexione & congruis affectibus, inante præmeditatis proferenda, & Vota in Conspectu totius Curiæ Cælestis, DEO per manus Beatissimæ Virginis & Sanctorum Religionis consecranda.

OMnipotens, sempiterne DEUS, ego miser, fragilis, infirmus, inconstans, in singula momenta mutabilis,

tan,

tanquam folium quod vento rapitur, per tuam tamen Omnipotentiam, adjuvandus, corroborandus, sanandus, confortandus atq; tuis Confirmandus gratijs. *Licet undecunq; tuo conspectu indignissimus* quid enim in me, oculis tuis inveniri potest dignum? qui nihil sum per omnia, nihil ad omnia, nihil in omnibus, nihil inter omnia, nihil præ omnibus. Nidus meus nihilum, Patria mea, genus meum, meritũ meum, nihil est.

Fretus tamen pietate, ac misericordiâ tuæ infinita; ex qua licet indignum creasti, redemisti, & ad hanc religionem vocasti me, ac innumeris donis cumulasti.

Et impulsus Tibi serviendi desiderio: quis enim non desideret servire Tibi, qui solus bonus, solus Sanctus, solus omnipotens, ac misericors es.

Voveo coram Sacratissima Virgine, & Curia tua cælesti universa, tanquam adjutrice & protectrice meâ.

Divinæ Majestati tuæ. *Paupertatem*, per quam ejuro mundum, & omnia terrena, quibus omnibus exutus ac spoliatus vivere volo.

Castitatem, per quam ejuro carnem, omnesq; ejus Cincupiscentias; quibus nunquam servire cupio, & à Te peto.

Obedientiam, per quam renuntio voluntati propriæ, & captivo Intellectum meum in obsequium obedientiæ.

Perpetuam in Societáte IESV. Non ad tempus Domine voveo, sed in totam vitam meam, ut prius mihi mori contingat, quam ab hac religione separari.

Et promitto eandem Societatē me ingressurum, id est eum gradum in Societate acceptaturum, qui mihi à Religione per superiores designabitur. &c. &c.

7ma. PARS MISSÆ.

Communio Voventis, Orationes, Benedictio.

VM intueri & illius memoriam Conservare, Vivere item in Conspectu Sancti Angeli Custodis itane in Oculis DEI omnipotentis & omnia Cordis arcana penetrantis & coram S. Angelo talia cogitare aut dicere, aut agere auderes? Absit hoc à me Domine, malo mori ac in omnes venulas, & membra disrumpi, quam aliquid displicentis Tibi intendere.

3tius Modus Ad Christum Crucifixum recursus: Amor meus Crucifixus est, Contemno omnia alia Domine JESV, Te solum amo, Te appretio super omnia; non licet delicatum esse membrum sub Capite spinoso. O Bone JESV intra vulnera tua absconde me.

4tus Modus est, elicere actum amoris DEI, Actum contrariæ virtutis illi vitio, ad quod impellit tentatio. Sic qui tentatur ad superbiam, eliciat actus Humiliationis sui, depressionis, contemptûs. Cui occurrunt tentati-

tationes contra Fidem eliciát actus ferventes Fidei Credo Domine, credo, Tu adjuva incredulitatem meam; & sic de alijs.

5tus Modus, Considerare vanitatem omnium rerum, quomodo omnia velociter tránseant ac pereant, ne itaq; o Religiose! pereas cum perituris, noli inhærere caducis ac transitorijs, Consideranda item mors & incertum ejus tempus, monente Christo: *Vigilate; quia nescitis diem neq; horam*, Recogitandum insuper judicium extremum, in quo manifestabuntur omnia Cordis arcana, omnes secretissimæ Cogitationes ac Intentiones humanæ. Revocanda memoria æternitatis, tum felicis, in qua DEUS præmiat & coronat Victores tentationum, tum infelicis, per quam in inferno cruciantur prævaricatores.

6tus Modus, Vitare otium tum internum mentis, tum externum, ad otiosum enim Religiosum, facilem

accessum hab t Animæ hostis, & per otium anima diffluit in omne vitium; sicut aquæ ni moveantur, putrescunt, & agri nisi colantur sterilescunt.

7mus Modus, Cavendi Socji liberiores & minus Spiritui addicti, cavendæ conversationes & Particulares affectus, item joci & omnis peccandi occasio, quam quisq; prævidere debet in meditationibus. Qui enim amat periculum in eo peribit *Eccl. 3.*

8vus Modus Vniversalissimus & efficacissimus. Cum maxima diligentia & accurato studio uti Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Per hæc enim Sacramenta magis semper purificatur anima, & horrorem peccatorum concipit, si cum debita dispositione ad ea acceditur.

HORA MERIDIANA.

RÉcordetur Religiosus CHRISTI Crucifixionis, rogans eum, ut per Crucem & mortem suam sit propitius

animæ

animæ ejus, in vita & morte utq; addat robur & gratiam sufferendi hilariter, & generosa mente occurentes in vita Cruces.

Eundo ad Mensam.

Renovanda Intentio cum protestatione coram Deo, quod Cibo & potu velit uti purè ut restauret vires suas ad servitium Dei, quia hæc est voluntas Dei. Dicens:

EO Domine ad mensam, quam mihi tua liberalitas præparavit, & Christus Dominus sibi ac jejunijs suis meruit. Protestor itaq; coram te Deo meo quod nolim meæ sensualitati & appetitui servire, sed tuam solùm implere voluntatem, ac ejus Providentiæ circa me obligatus vivere, utendo cibis & potu ad conservandas vires meas pro gloria tua. Ah Domine! quanta multitudo Hominum nunc in mundo fame tabescit! O quàm multi famelici intereunt! & unde hoc mihi

quod

quod Tua Bonitas me paſcat & benevole cibos provideat, alijs dignioribus intermiſſis.

Accedendo ad Menſam.

O Bonitas infinita Deus meus colloca me quæſo ad illam Menſam, ad quam Electos tuos torrente voluptatis potare non ceſſas. Quis ego ſum Domine? qui aſſideam Menſæ, quam præparaſti Filijs tuis. Indignus ego qui etiam micas cadentes de menſis Filiorum tuorum colligere valeam.

Ad Menſam ſedendo & edendo.

Pater da mihi portionem quæ me contingit, portio mea Domine dixi cuſtodire legem tuam.

O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam conſervaſti diligentibus te.

Tu es deſiderium cordis mei, Deus meus, quò te plus deguſto, eò magis, tui deſiderio æſtuo.

Amantiſſime Deus quis mihi hoc tribuat ut ego ita vires meas ac me totum in tuo conſumem ſervitio, ſicut hic cibus per me conſumitur, o ſi tot lachrymas in ablutionem meorum & totius mundi peccatorum profundere valeam, quot guttulas potûs, ad mei refrigerationem exhaurio.

Tu es ſpes mea Domine, Tu Portio mea in terra viventium. Tu ſcis Domine quia ſicut cervus ad fontem aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus meus.

Omnes bolos cibi mei intingo in felle, & aceto, in vulneribus, & ſangvine Salvatoris mei. Benedic Domine omnibus, nobis bona facientibus.

Liberaliſſime Domine itane tu mihi cibos provides, qui te toties opprobrijs per peccata mea ſaturavi? Cur potius me fame non enecas? Alios multo meliores & ſanctiores omni cibo deſtituros eſſe voluiſti, Pluribus talia fercula non ſuppeditaſti, me verò in-

rò indignum cibo creaturarum rationalium, absq; omni cura mea exsatiasti, qui te irrationabiliter toties offendebam.

Infinitæ sint tibi gratiæ o misericordissime DEUS, quod me à juventute mea sustentes, aperisq; tuam manum, & imples omne, etiamq; me bestialissimum animal tuis benedictionibus.

Serviendo ad Mensam.

COgita CHRISTUM Dominum, Beatissimam, ac Sanctum Iosephum assidere mensæ, vel etiam Sanctos Apostolos, & eo affectu illaq; accurata diligentiâ inservias Fratribus tuis, quo studio ipsi CHRISTO, Beatissimæ, Sancto Iosepho, ac Sanctis Apostolis hoc obsequjum præstares.

Distribuendo fercula adhibe omnium reverentiam & charitatem, qualem exhiberes ipsi CHRISTO.

Poteris item cogitare te in xenodochio pauperibus Christi inservire & ex libe-

liberalitate Benefactorum cibos illis porrigere. Qua itaq; devotione, animi submissione, illud officium executi sunt multi Reges, Principes, Pontifices, eorum fervore & affectu simile obsequium exhibe Fratribus tuis tanquam veris Christi pauperibus.

Surgendo à Mensa.

BEnedicimus DEVM Cæli & coram omnibus viventibus glorificamus eum: quoniam fecit nobiscum misericordiam suam.

Laudate Dominum Omnes Gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.

Quidquid Domine ex hoc cibo accessurum est mihi Sangvinis & Vitæ, id totum, ac meipsum dedico Tibi in Sacrificium, Laudem, & Honorem. Omnia dicant: Quis similis Tibi?

Be-

Benedic Anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, Nomini Sancto ejus.

Domine DEVS meus ſupplico Majeſtati tuæ, ut ſuccurras Omnium fameſcentivm miſeriæ, ad eoſq; alendos excites Benefactorum Corda.

Et Fidelium animæ per Miſericordiam DEI, merita & Paſſionem Chriſti, Interceſſionem Beatiſſimæ Sanctorumq; Omniũ, requieſcant in Pace.

Viſitando Sanctiſsimum SACRAMENTVM.

In Viſitatione Sanctiſſimi SACRAMENTI variæ Praxes adhiberi poſſunt.

1ma PRAXIS.

Viſitandi Sanctiſſimum SACRAMENTVM.

VArias induendo Personas, imò enim: Religiosus induat Personam aut Filij amantis Patrem, accedatq; cum effusione sui affectûs Filialis ad Christum tanquam Patrem suum amantissimum, exponendo illi suas necessitates.

Aut Personam Filij Prodigi de longinqua Regione revertentis cum rubore & humiliatione sui ad Patrem amanter se Complectentem.

En venio ad Te o Pater misericordiarum cum Omni reverentia & amore Filiali, recognoscens tuæ erga me Indignissimum Paternæ Bonitatis ac benevolentiæ viscera. Creasti me de nihilo, & ad Imaginem ac similitudinem Tuam formasti. Adoptasti me in Filium per Gratiam Sanctificantem, & Hæredem Regni Cælestis constituisti. In morte & Passione Tua Bone IESV toties me mortuum per peccatum Sangvine tuo regenerasti. Omnia tum Naturæ dona, tum salu-

tis media, ex Pietate tua liberalissimè providisti mihi. Agnosco itaq; Te in Patrem meum, & Te, ex toto Corde meo, ex tota anima, & viribus meis amo, magisq; ac magis amare desidero, Laudo Te. benedico Te, adoro sub his speciebus Eucharisticis latentem, Miser quidem & miserabilis sum ego, nec dignus vocari Filius tuus, ob magnam vilitatem & ingratitudinem meam. Tu tamen quia pius es, miserere mei, & succurre indigentijs ac miserijs meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum, ne auferas à me.

Item: Venio ad te Domine IESV CHRISTE in Sanctissimo SACRAMENTO verum DEVM, Patrem meum, Salvatorem meum, veniò indignus & prodigus Filius cum rubore & Confusione vultûs mei, venio in contrito Corde ac humiliate coram Te, Pater peccavi in Cælum & coram Te, non sum dignus vocari Filius Tuus, Tibi Soli pec-

peccavi, quem Solum amare debui. Ah! Pænitet me peccasse! doleo ex toto Corde meo unice ob Solam Bonitatem tuam, quod Te aliquando offenderim, utinam Te nunquam offendissem, o DEUS meus! O Pater ac Creator meus & Redemptor, detestor, abominor, execror omnia peccata mea, & projiciens me sub pedibus tuis, deprecor te, protestor coram te Patre misericordiarum, quod propter tuam infinitam Bonitatem ac dignitatem nolim te, ullo peccato offendere. Adjuva me ô virtus mea, ô firmamentum meum, Deus meus, & propitius esto mihi peccatori.

2do. Induat Personam subditi ad Regem & Dominum suum properantis, cum tributo submissionis & recognitione subjectionis suæ.

3tio. Induat Personam mendici accedentis ad divitem Dominum, bona sua in omnes dispertientem. Pauper sum ego & mendicus, tu Dives in

omnes,

omnes, qui invocant Nomen tuum. Aut personam infirmi sua vulnera & langvores animæ Medico Christo aperientis. Aut Personam viatoris exerrantis in suis itineribus, & ad peritissimum viarum ducem recurrentis, rogando ut ille demonstret vias & semitas rectas edoceat. Dirige Domine Deus gressus meos in conspectu tuo.

4to. Potest accedere ad Christum tanquam Ovis perdita ad Pastorem; tanquam reus ad judicem, cum timore, & tremore &c. Domine IESV Christe credo & profiteor te sub his speciebus Panis Sanctissimi Sacramenti, esse verum Deum & Hominem. Tu es Christus Filius Dei vivi, Iudex vivorum & mortuorum ab Omnipotente Deo Patre constitutus, qui, etiam justitias judicaturus es. Contremisco ante te, & timeo tremenda judicia justitiæ tuæ Domine, Procido coram Clementissima Majestate misericordiæ tuæ, suppliciter petens ne in-

tres in judicum cum servo tuo. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

2da PRAXIS

Visitandi Sanctissimum SACRAMENTUM.

VArios Affectus eliciendo: Fidei, Spei, Charitatis, Desiderij, Humiliationis sui, Exaltationis & Laudis Christi, Doloris de peccatis, Abrenuntiationis mundo & rebus terrenis, Oblationis sui ad omnes nutus & voluntatem Christi, projectionis sui suorumq; in sinum Providentiæ Divinæ, Timoris Dei &c.

3tia PRAXIS.

AD Christum in Eucharistiæ SACRAMENTO accedere, tanquam ad Fontem omnium bonorum, omniumq; virtutum ac donorum superna-

tura-

turalium. Tanquam ad thesaurum omnibus divitijs Spiritualib⁹ refertum. Tanquam ad torrentem omnis voluptatis & solatiorum. Et ex Fontibus Salvatoris totis medullis haurire Sanctitatem virtutes ac omnia dona & gratias animæ necessarias.

4ta PRAXIS.

POtest item ista Visitatio quandoq; absolvi affectu Sanctorum Angelorum salutantium, adorantium, laudantium CHRISTUM in EUCHARISTIA. Aliquando affectu Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum in cælis eum admirantium, amantium, honorantium &c. Aliquando cum Sanctis Apostolis & eorum affectu. Item affectu Sanctorum Martyrum pro Christo Sangvinem fundentium, affectu Sanctorum Confessorum, Doctorum, Religiosorum Sanctarum Virginum, & omnium illorum affectu, qui illum aliquando salutarunt, adorarunt, coluerunt, & salutant,

lutant, adorant, colunt, atq; saluta-
bunt, adorabunt, colent, usq; ad con-
summationem sæculi.

5ta PRAXIS.

POtest demum CHRISTUS in Eucha-
ristia considerari vel tanquam In-
fantulus in stabulo Bethleemitico, vel
tanquam in sinu Beatissimæ depositus,
vel tanquam medius inter Beatissimã
& S. Iosephum, vel tanquam docens
& sanans omnes, vel tanquam Cru-
cifixus, & de vulneribus Sangvinem in
salutem nostram fundens, vel tanquã
in throno cælesti sedens &c.

Ad BEATISSIMAM.

Similes proportionatè praxes servire possunt.

Sæpe etiam in ejus visitatione potest
usurpari illa oratio. O Domina mea
Sancta MARIA me in tuam Benedi-
ctissimam Fidem, ac singularem custo-
diam. &c.

Possunt item sequentes affectus adhiberi.

Ado-

Adorationis.

EMinentissima Dei Mater & Virgo, adoro te cultu Hyperduliæ cum tota Ecclesia tanquam Matrem Dei, & Dominam mundi idq; affectu, sub-missione, Reverentia omnium te adorantium & colentium.

Laudis.

GLoriosissima Dei Mater te laudo & glorifico & post Deum maximo conatu & studio ab omnibus laudari & glorificari desidero, Beatam te dicant omnes generationes.

Gratulationis.

GAudeo cum tota Ecclesia & gratulor tibi omnia dona naturæ, Gratiæ & Gloriæ super omnes Sanctos collata.

Gratiarum Actionis.

BEneficentissima Mater Dei ago tibi gratias pro omnibus obsequiis & affectibus Christo Domino exhibi-

tis & pro omnibus beneficijs mihi ac toti Ecclesiæ impetratis.

Oblationis sui.

DIgnissima DEI Mater cognosco te & recipio in Matrem & Dominam meam, meq; tibi in filium & mancipium perpetuum offero.

Fiduciæ.

POtentissima DEI Mater in tua intercessione spem meam maximam post Christum repono, de bonis temporalibus & æternis. Sub tuum præsidium confugimus Sancta DEI Genitrix &c.

Petitionis.

BEnignissima Mater DEI monstra te mihi esse Matrem in vita & in morte mea. Opitulare mihi Domina mea, nonne opitulaberis.

Sub tempus Recreationis.

1mo. In visitatione Eucharistiæ petenda Benedictio Divina ad sancte & fructu.

fructuose peragendam recreationem.

2do. Caveat Religiosus ne tetricus aut nimium loquax, vel contentiosus, sit in recreationibus, vitandi item clamores & narratiunculæ vanarum rerum.

3tio. Varijs Ejaculatorijs Orationibus utatur.

Quid mihi est in Cælo, aut à te quid volui super terram præter te Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Inquietum est cor meum Deus, donec requiescat in te.

Ego autem gaudebo & exultabo in Deo IESV meo.

Tu solatium meum & gaudium meum Deus meus, in te gloriabor.

HORÆ POMERIDIANÆ EXERCITIVM 1mum.

In recitanda rite Corona Beatissimæ variæ Praxes habentur in libris recitandæ Coronæ, & in Congregatione Sodalium traduntur, aliquas insuper hic innuo.

PRA-

PRAXIS 1ma.

Singulæ Decades Coronæ recitentur affectu & devotione aliorum & aliorum Sanctorum. v. g. 1ma decas; Recitetur affectu Sanctorum Angelorum, addendo ad principium Salutationis. Ave MARIA Regina Angelorum, & ubi dicitur IESVS: addatur qui est Gaudium Angelorum. In 2da decade Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum affectus & devotio assumatur; dicendo: Ave MARIA Regina Patriarcharum & Prophetarum. & IESVS: Qui est Rex Patriarcharum & inspirator Prophetarum. 3tia decas affectu Sanctorum Apostolorum, dicendo: Ave MARIA Regina & Magistra Apostolorum, & IESVS: qui est Magister Apostolorum. 4ta decas affectu Sanctorum Martyrum. Ave MARIA Regina Martyrum, & IESVS: qui est Dux & Fortitudo Martyrum. 5ta decas affectu Sanctorum Confessorum & Docto-

Doctorum, Ave MARIA Regina Confessor: & Doctorum, IESVS qui est lumen Confessorum & Sapientia Doctorum. 6ta decas affectu Sanctarum Virginum & Omniũ Sanctorum. Ave MARIA Regina Virginum & Sanctorum Omnium, IESVS: qui est Sponsus Virginum & Corona Sanctorum Omnium.

PRAXIS 2da.

Recitandi Coronam cum præparatione ad Communionem aut Gratiarum actione post illam.

Salutando Beatissimam in singulis Decadibus ad illa verba IESUS, addatur unus Actus ex sequentibus.

1. IESUS quem credo præsentem in Eucharistiæ SACRAMENTO.
2. IESUS qui est spes mea in Eucharistiæ SACRAMENTO.
3. IESUS qui est Amor meus in Eucharistiæ SACRAMENTO.
4. IESUS quem pronus adoro in Eucharistiæ SACRAMENTO,

5. Iesus quem desidero quam devotissimè semper recipere in Eucharistiæ Sacramento.

PRAXIS 3tia.

Accomodetur Corona Solennioribus Festis, sic in Nativitate Domini possunt hæc Mysteria usurpari.

1. Iesus quem Virgo genuisti.
2. Iesus quem ex te natum cum Iosepho adorasti.
3. Iesus quem in præsepio reclinasti.
4. Iesus quem pastoribus videndum præbuisti.
5. Iesus quem 3bus Magis adorandum exposuisti.

Primâ Septimanâ Quadragesimæ.

1. Iesus qui pro nobis cæpit pavere, tædere, & mæstus esse.
2. Iesus qui procidens in faciem, oravit Patrem.
3. Iesus qui Factus est in agonia.
4. Iesus qui sangvinem sudavit.

5. Ie-

5. Iesus qui ſuam faciem inclinavit ad oſculum Iudæ.

Secũdâ Septimanâ Quadrageſimæ

1. Iesus qui compræhenſus, ligatus, conculcatus eſt in horto.
2. Iesus qui ductus eſt ad Caipham Principem Iudæorum.
3. Iesus qui examinatus eſt de doctrina & Diſcipulis.
4. Iesus qui conſputus & colaphiſatus eſt.
5. Iesus qui reus mortis proclamatus eſt.

Tertiâ Septimanâ Quadrageſimæ.

1. Iesus qui Gentibus traditus eſt.
2. Iesus qui apud Pilatum accuſatus eſt.
3. Iesus qui ab Herode ſpretus & illuſus eſt.
4. Ieſus qui innocens à Pilato denunciatus eſt.
5. Iesus qui Barabbæ poſtpoſitus eſt.

Quartâ Septimanâ Quadragesimæ

1. Iesus qui ad flagella damnatus es.
2. Iesus qui vestibus denudatus est.
3. Iesus qui columnæ alligatus est.
4. Iesus qui pro nobis Flagellatus est.
5. Iesus qui à plãta pedis usq; ad verticem Capitis vulneratus est.

Quintâ Septimanâ Quadrages:

1. Iesus qui spinis Coronatus est.
2. Iesus qui coccinea veste indutus est.
3. Iesus qui illusoriè Rex Iudæorum salutatus est.
4. Iesus qui arundine percussus est.
5. Iesus qui ad populum productus à Pilato.

Sextâ Septimanâ Quadragesimæ.

1. Iesus qui innocens ad Crucem damnatus est.
2. Iesus qui pro nobis Crucem bajulavit.
3. Iesus qui vestibus exutus Cruci affixus est.

4. Iesus qui in Cruce elevatus est.
5. Iesus qui cum clamore valido in Cruce expiravit.

In PASCHATE.

1. Iesus qui resurrexit à mortuis.
2. Iesus qui apparuit Petro post suam Resurrectionem & Magdalenæ.
3. Iesus qui se adjunxit duobus Discipulis in Emmaus euntibus.
4. Iesus qui stetit in medio Discipulorum, & dixit eis Pax vobis.
5. Iesus qui ostendit Discipulis suis, Manus, Latus, & Pedes.

In ASCENSIONE DOMINI.

1. Iesus qui apparens Discipulis suis exprobravit incredulitatem eorum.
2. Iesus qui elevatis Manibus suis benedixit Discipulis suis.
3. Iesus qui ascendit in Cælum.
4. Iesus qui captivam secum duxit captivitatem.
5. Iesus qui sedet à Dextris Dei

EXER-

EXERCITIVM 2dum.

In providendis medijs ad vincendas particulares Tentationes & extirpandos habitus vitiosos.

Contra Tentationes adversantes Fidei.

1mum & Solidum medium est nunquam cum ejusmodi tentationibus disputare, nunquam illis occupari sed quam primum ubi quis illas adverterit captivandus est intellectus in obsequium Fidei, & infallibilis veritatis Divinæ, dicendo Credo Domine DEUS meus omnia quæcunq; mihi per Sanctam Matrem Ecclesiam credenda proposuisti, tu adjuva incredulitatem meam, in hac Fide vivere & mori desidero. Potiusq; in omnia membra & venulas discerpi ac disrumpi desidero, quam vel minimùm de aliqua Fidei veritate dubitare.

2dum Medium. Ruminare mente quæ in hac Fide firmos & constan-

ſtantes reddere debeant, 1mo Eximia Sanctorum Doctorum Sapientia. 2do Insignis multorum Fidelium Sanctitas. 3tio. Innumerabilium Martyrum pro hac Fide decertantium invicta patientia ac fortitudo. 4to. Tot diverſarum Regionum & Gentium unanimis conſenſus in rebus Fidei. 5to Non interrupta à CHRISTO & Sanctis Apoſtolis Vicariorum CHRISTI ſucceſſio, quæ in alijs Sectis non habentur.

3tium Medium Cavendi Libri hæretici ab Eccleſia DEI vetiti, & Familiaris converſatio cum hæreticis prout monet Divus Paulus ad Tim. 3.

4. medium. Cum omni diligentia & dvotione adhibenda præparatio ad uſum Sacramentorum, reſq; divinæ cum omnia reverentia tractandæ.

Contra Conſvetudinem facile jurandi.

1mo. Conſiderandum quod per talia juraméta irrogetur deſpectus gravis

Divinæ Majeſtati, præſertim ſi in teſtimonium & confirmationem rei falſæ adhibeatur DEI Nomen, & Deus tanquam falſitatis teſtis invocetur.

2do. Conſiderandum ſi de omni verbo otioſo redditurus ſit homo rationem in die Iudicij, quanto magis de juramentis alijsq; verbis malis.

3tio. Conſiderandum quod conſvetudo jurandi faciat Hominem contemptibilem apud alios & cui nihil Fidei deferatur, ſicut Sanctus Chryſoſtomus docet, ſæpe & facile juranti non credendum quamvis vera diceret.

Medium ad extirpandum tam noxium vitium eſt. 1. Vſus frequentis reflexionis ſupra ſua verba, in quibus ſi quid adverteretur mali, puniat ſe ipſum varijs modis, aut oſculando terram, aut abſtinendo ab aliquo cibo vel potu, ad quem major appetitus ſentitur. 2. Regula ſilentij accurate ſervetur. 3tio. Si quid loquendum eſt, intingatur imprimis lingva in Sangvine

CHRI-

CHRISTI. 4tò. In usu Eucharistiæ rogandus CHRISTUS ut Sanctificet lingvam & à noxiò vitio eam liberet.

Contra Elationem & Vanam Gloriam.

I. SÆpe ob Oculos habere Proprios defectus, illosq; sibi exprobrare, & se contemptibilem reputare.

2dò. Revocandæ in memoriam Virtutes & heroicæ actiones Sanctorum, & confundi quod Tu nihil simile propter DEUM & salutem tuam egeris.

3tiò. Considerandum CHRISTI Exemplum, qui cum esset Filius DEI & altissimus Dominus omnium, conculcari tamen conspui propter nos voluit, atq; seipsum exinanivit formã servi accipiens, Iustum ne ut Tu Pulvis & vermis altum sapias & intumescas.

4tò. Sæpius cosideratione Seriâ, ruminanda CHRISTI Doctrina *Discite à me quia mitis sum & Humilis Corde.*

5tò.

5tò Nunquam de proprijs rebus loqui, & si tuas laudes audieris, toto conatu in DEVM illas referas dicendo. *Non nobis Domine non nobis, sed Nomin tuo da Gloriam*, aut cum Piissima Virgine, *Magnificat Anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in DEO Salutari meo.* vel ex Oratione Dominica, Sanctificetur Nomen tuum contemnatur meum &c.

6tò. Extirpare omne desiderium Laudis humanæ, sermones enim hominum neq; nobis quidquam addent nec nos Sanctiores & meliores, efficient proninde satius dicendum cum Propheta, *Apud Te gloria mea DEVS.* Tu solus gloria mea, Quid enim pretij accedet luto per hoc, quod illi quis auri vocabula tribuerit! Quid decedet Margaritæ de pretio quod eam quis minus rerum gnarus fragmentum vitri reputet.

7mò Tandem: Sæpius cogitandum, quod homo elatus & in suo sen-

su

ſu tumidus apud DEVM & Homines ſit in contemptu, Reſiſtitq; DEVS ſuperbis, & humilibus dat gratiam. Propterea optimus modus eſt conſervandi ſui Honoris & æſtimationis apud omnes, Demiſſio & humiliatio ſui in omnibus. Quò enim quis magis ſe humiliat eò faciliùs eum DEVS exaltat ac erigit, ſicut è contra ſuperbos varijs Ignominijs & contemptibus obijcit.

Ad Extirpandum Vitium Iræ & Impatientiæ.

I. VBi quis adverterit quod Paſſiò iræ incipiat efferveſcere curet diligentiſſime ne tunc ullum verbum proferat, ſed ſtatim conferat ſe ad aliquam ſeriam Occupationem vel aliam diſtractionem.

2dò, Convertat Oculos in CHRISTUM Crucifixum, qui eſt Exemplar omnis Manſvetudinis & Patientiæ. In Vulneribus ejus, Amaritudines omnes

Cor-

Cordis deponendæ. O Bone IESV mors tua mortificet Passiones meas & comprimat Impetus earum, & Sangvis tuus extingvat ac refrigeret omnem flammam iræ.

3tiò In Omnibus Adversitatibus & Tribulationibus occurrentibus meminisse benevolentissimæ nobis Voluntatis divinæ, & ejus circa nos Providentiæ à qua omnes tribulationes ad nos ordinantur, dicendumq; sæpius: Pater Fiat Voluntas Tua sicut in Cælo & in terra Quemadmodum ita placitum est ante Te, Fiat juxta Beneplacitum tuum in me, de me, circa me, circa omnia mea, non mea, sed tua Sanctissima Fiat Voluntas.

4tò. Considerandа peccata propria pro quibus graviùs puniri meremur proillisq; occurrens afflictio offeratur, unita Passioni, & Doloribus CHRISTI. Iustus es Domine & Iustum Iudicium tuum.

5tò, Considerandum quanta multitu-

tudo Sanctorum in diè Iudicij ſtabit in Conſpectu Iudicis Cristi & ſinguli pro tot ſuperatis tormentis, exilio, carceribus In edijs, perſecutionibus laudabuntur à Christo & coronabuntur. Nos autem Confuſione replebimur, ſi nihil ſimile pro gloria DEI & ſalute noſtra egerimus. Illi propter DEVM Ignes, equuleos, gladios, Cruces, multaſq; Ignominias hilari Vultu ſuſtinuerunt, & nos minimo etiam verbulo nimium affligimur, & conturbamur, heu Pudor! heu Confuſio!

6tò. Sæpiùs illa verba Evangelij attentius ruminanda. *In Patientia veſtra poßidebitis Animas veſtras.* &c. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum* DEI.

7mò. Tandem: Expendenda ſunt damna quæ proveniunt ex Immoderata ira ac Impatientiâ. Imò enim non ſolum ira & impatientia non minuit dolorem, ſed etiam eundem auget,

2dó quia Conſcientia per illam læditur, & tranquillitas animi amittitur, 3tiò quia merito coram DEO nos privat 4tò. tandem quia brutis Inſipientibus hominem aſſimilat, & tanquam amentem efficit.

Ad Extirpandam Invidiam & Odium.

1. FLocci habenda omnia temporalia, nihilq; facienda humana gloria, quæ velut fumus tranſit, contemnenda omnia tranſitura, & Virtutum æternorumq; Cura, ac ſtudium ſollicite in animam, inducendum.

2dò Cogitandum, quod fruſtra unus alteri invideat res temporales, ſiquidem ſalubrius cuiq; eſt, ut contentus eô, vivat, quod illi DEus providerit, meliꝰ enim novit ille quæ cuiq; expediant ad ſalutem & Perfectionem quàm quiſq; ſibi optare poſſit Multa ſæpe deſideramus, quæ ſi nobis conferrentur multorum eſſent occaſio

pec.

peccatorum & nostræ ruinæ causa: Præterea cui plus datur a DEO, plus etiam requiretur ab eodem, & de pluribus sibi Concessis reddenda ei erit ratio in die Iudicij. O quam Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.

3tiò. Expendenda damna quæ invidia adfert Homini. 1mò enim vano mærore conficit Hominem. 2dò. grauem alijs & abominabiiem reddit, similemq; dæmoni. 3tiò. quia invidus nec sibi, nec cum alijs quietus vivere potest.

Ad avertendum autem Extirpandumq; odium cogitandum. 1mò Omnes nos creatos esse ad imaginem DEI, si itaq; nullus auderet odisse Imaginem DEI pictam, multo minus præsumere debet odio prosequi Imaginem Animâ Sangvine CHRITI redemptâ vivificatam. 2dò. Meminisse debemus nos omnes esse unius ejusdemq; DEI Filios, ad quem unanimi-

ter clamamus *pater noster qui es in Cœlis* sumus item Fratres CHRISTI Domini omnes eodem Sangvine signati, ad eandem Hæreditatem vocati, de eadem Mensa Corporis CHRISTI Participes facti, ut quid igitur unus adversus alium infletur, & odijs prosequatur. Sumus ejusdem Domini servi, ejusdem Regis subditi, in Charitate itaq; & Pace conversari nos convenit. 3tiò. Considerandum & illud quod odium obcæcatum faciat Hominem, eumq; in gravia præcipitet peccata, ut palpamus in Iudæis, ex odio CHRISTUM Crucifigentibûs & in Fratribus Patriarchæ IOSEPH, qui eundem ex odio occidere voluerunt, tandemq; Ismaelitis vendiderunt

Contra Tentationes impuras.

1. NVnquam cum ejusmodi tentationibus depugnandum, sed cũ omni diligentia fugiendæ, in hoc enim passu Sola fuga triumphat. Et si-

ſicut dum ſcintilla in Veſtem cadit, ſtatim excutitur, ita Cogitationes & Phantaſmata impura quam primum amovenda, ne incendiũ pariant. Multiplici autem modo evitantur tales tentationes. 1mò. Si evitentur occaſiones periculoſæ, prout ſunt liberi aſpectûs objectorum minus decentium, auſcultatio ſermonum pravorũ, Lectio librorum minus purgatorum &c. 2dò. Si abſtineatur à converſationibus minus neceſſarijs, & multo magis periculoſis, qui enim amat periculum in eo peribit. 3tiò. Cavendo otium, Hominis enim otioſi anima eſt diverſorium immundi Spiritûs. 4tò. Societas pravorum Hominum fugienda, quæ eſt incentivum Omnium malorum. 5tò, Diligens ſenſuum Cuſtodia, ex quorum malo uſu multi perierunt.

2dò. In nullo ſenſualitati indulgendum, nec molliter caro fovenda ſed mortificationibus Iejunijs labori-

bus vigilijs premenda & atterenda.

3tiò. Specialis semper & accurata devotiò, diligensq; Præparatio ad Communionem præmittenda; atq; cum maximo fervore ac desiderio ad hunc omnis puritatis Fontem accedendum.

4tò. Multum Iuvat ad vincendas hasce tentationes constans & fervens devotio ad Beatissimam Virginem, in singulos dies fiant coram ejus imagine frequentes protestationes, malle se potius millies mori quam alicui tentationi consentire, facere insuper Familiarem sibi Angelum Custodem.

5tò. Curandum ut mens assvescat meditationi Passionis Christi, ad ejus vulnera ingruentibus hujusmodi tentationibus velociter recurrendum, dicendo, sangvis de capite CHRISTI defluens eluat cogitationes capitis mei. Spinæ acerbioris coronæ sepiant Caput meum, & expugant omnem speciem immundam. O IESV in Cruce moriens intra Vulnera tua absconde me. Ab hoste maligno defende me.

6tò. Tandem Occupetur sæpiùs mens Meditatione mortis, & Conside-ratione vilitatis rerum terrenarum, ex-pendendo quomodo caro in pulverem redigetur, & vermibus corrodetur, ita ergo carne uti debemus, ut nobis per illam cælum, non damnationem com-paremus. Revocandum item in memo-riam, quomodo DEVS gravissimis semper pænis mulctabat immunda peccata, & in inferno tota æternitate ea punit, si itaq; nemo ad brevissimū tempus sustinere potest ut manus ejus aduratur igne, & quomodo æterna in-ferni incendia sustinebit? Quis poterit habitare in ardoribus sempiternis; mo-mentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.

Contra Tepiditatem.

1. EXpendendum quanto amore DE-VS in nos feratur nonne Iu-stum est & nos amantem redamemus? quantis Beneficijs nos in Singula mo-

menta cumulet, quib⁹ obligamur ut illi strenue & alacriter serviamus, si enim Homo Homini propter vilem mercedem accurata defert obsequia, suamq; operam, vires, sanitatem & quandoq; vitam impendit ob respectum consequendæ gratiæ, multò æquius est ut intuitu gratiæ DEI & æternorum præmiorũ diligenter DEO serviamus.

2dò. Considerandum illa tantum nos comitabuntur & juvabunt in æternitatem, quæ hic brevi tempore collegerimus. Post mortem tempus non erit ampliùs ad congreganda merita. Qui æstate sub tempus messis nihil in futuram hyemem aut parum sibi providet, Fame perire debet, idem pariter negligenti salutem suam timendum est, ne illam famem patiatur quam DEVS minatur tepidis, Famem patientur ut Canes.

3tò Evolvenda frequentiùs mente Sanctorum Exempla, qui Constanti & heroico animo servierunt DEO in hac

mor.

mortali vita, plurima agentes & patientes pro Nomine IESV, & nunc toto Conatu Laudant eum in cælis. Numquid non idem est Dominus, non dives in omnes, curitaq; nos langvescimus in ejus servitio.

4tò. Expendendus finis Creationis & Vocationis nostræ. Ad hunc Finem creatus est homo ut DEVM suum laudet, ei serviat, ac tandem salvus fiat. Ad hoc vocati sumus, non ut otiemur, sed ut per labores nostros & accurata obsequia glorificetur DEVS tum in nobis, tum in Proximis nostris.

5tò. Tandem, Consideranda damna ex tempore provenientia: 1mò. enim Tepididas etiam bona Opera corrumpit, illaq; reddit DEO abominabilia. 2dò. quia tepor graviores in hominem inducit tentationes, facilius tepidus vincitur cum Indignus DEI auxiliò reddatur. 3tiò, quia Tepiditas inducit nauseam rerum Spiritualium ac divinarum ita, ut sicut in

firmus respuit cibos etiam saluberrimos, ita & Tepidus aversatur quæ suæ saluti & Perfectioni maxime conducunt. 4tò. Tepiditas sæpe inducit in obdurationem Cordis, & cæcitatem mentis, facitq; illum insanabilem. 5tò. Tandem, quia Homo tepidus absq; DEI solatio vivit, & cum pavore moritur.

Ad vincendas Tentationes Desperationis, de correctione & assequenda Perfectione.

1. Vitentur Cogitationes quibûs ab hoste infernali svadetur impossibilitas Emendationis & Expeditionis sui ab inveteratis vitijs. Item quibûs suggeritur difficultas insuperabilis in assequendis Virtutibus Religioso Homini congruis. Tales enim Cogitationes valde sunt noxiæ ac damnosæ. Contra quas illæ sunt usurpandæ Sanctæ Reflexiones. In DEO

meo

meo transgrediar murum. Non ego sed Gratia DEI mecum. Omnia possum in eo qui me confortat Qui dedit velle, dabit & Perficere. Major est Gratia DEI quam infirmitas mea

2dò, Magna in DEVM fiducia concipienda, quo auxiliante pessimæ etiam Consvetudines & venenatissimæ corruptæ Naturæ inclinationes facile superari possunt. Credamus Verbo DEI nos per Prophetam excitantis. *Expecta Dominum, viriliter age, & Confortetur Cor tuum, & sustine Dominum.* Numquid non habemus ejusmodi medicum CHRISTUM IESVM qui sanare valeat omnes infirmitates nostras, & imbecillitatem corroborare. Vocavit, nos & elegit sibi in servos quomodo sine adjutorio nos relinquet? Speremus in eo & non Confundemur in æternumm.

3tiò. Proponenda sunt ante Oculos, aliorum Exempla, qui multis

vitiosis habitibûs involuti, superatis omnibûs difficultatibûs, in melius, Vitam commutarunt. Putabat antea S. Augustinus quod sibi esset impossibile servare Castitatem, sed postea tot alijs Angelicè viventibûs Adolescentibûs in Exemplum sibi propositis, omnes difficultates superavit; illô dictô se excitans: *potuerunt hi & hæ, & Augustine, Tu non poteris?* Numquid & illi suis viribus & non DEI Gratia eam mentis & Corporis Puritatem sunt consecuti. Proinde & Tu confide DEO, & ipse Te sublevabit, & quæ suis viribus non valebis, DEI Auxilio facile obtinebis.

4tò. Summe æstimanda Divina gratia, ejusq; vis & Potentia consideranda, atq; in illa spes omnis reponenda, multum enim imò omnia per illā possumus teste Sanctô Paulo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Sicut autem non debemus diffidere quod habitâ gratia DEI omnia quæ voluerimus

mus consequemur, ita pariter firmiter sperandum est, dandam nobis à DEO gratiam, si illam non impedierimus Promisit enim CHRISTûs dicens: Qui ad me venerit non ejiciam eum.

5tò. Cogitandum & illud, si DEVS tot nobis media salutis providit, ad fidem & Religionem vocavit, ac deduxit, quamvis Indigni his donis fuerimus, si CHRISTUS in SACRAMENTO Pœnitentiæ etiamsi peccatores nos absolvat, Corpore suo reficit immeritos, multò magis si in toto corde ad eum conversi fuerimus, dabit gratiam ne labamur in peccata, & ut pravas Inclinationes extirpemus, Si DEVS (ait Apostolus) fecit nobiscum Misericordiam, largitusq; est suam gratiam dum adhuc Inimici ejus essemus, hoc est dum adhuc in peccatis perseverabamus, certo majorem nobis gratiam conferet, & Auxilia sua suppeditabit, dum ei sumus reconciliati, & peccata detestamur, de illisq; Pænitentiam agimus.

6tò.

6tò Gloriosé sentiendum de Bonitate DEI, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, modo ea faciamus quæ possumus, & ille non deerit nobis. Facienti enim quantum de se, DEVS non denegat gratiam.

7mo. Strenuè sui amor vincendus illud considerate ruminando, quod plus DEO, animæ immortali, & saluti propriæ debeamus, quàm cupiditatibus, & pravis inclinationibus, quæ ruinam & damnationem animæ parant

8vo tandem: Considerandum quod si nunc quamdiu vires nobis integræ sana ratio suppetit, non vult homo sua refrenare desideria, vincere cupiditates, quomodo illis resistere poterit in ultimo vitæ momento, quando adversarius noster omnem vim exeret ad nos perdendos, ad illaq; omnia incitabit quibus homo longa consvetudine delectabatur, & noxie occupabatur. Avertat autem DEUS, ut illo momento

vo-

voluntas malis assveta alicui consentiat, æternum peribit. O Momentum a quo tota pendet æternitas! quanta nos tui tenet oblivio.

EXERCITIVM 3tium. *In conquirendis varijs virtutibus & illarum Actibus Exercendis.*

Non sufficit enim extirpare mala, nisi etiam plantentur virtutum surculi.

AMOR DEI.

COmpendiosè Charitatis Dei actus descripsit Sanctus Paulus Corin 13. imò *Charitas patiens est*: idest qui amat Deũ debet multa pati propter amorem ejus, multas sustinere tribulationes in Anima, in Corpore, in Fama, & inde lætari Deumq; laudare ac magnificare. HujusmodiCharitatis in Deum, præbuit nobis Exemplum Iob, in omnibus afflictionibus suis Benedicens

cens Deum. Similiter & alij Sancti incipiendo à Sancto Sanctorum Christo Domino.

2dò. *Charitas Benigna est*, hoc est amans Deum, debet omni Creaturæ se mitem amabilem ac liberalem demonstrare. Debet item alios Consilio oratione elemosyna juvare.

3tiò. *Non æmulatur*, id est nulli invidet, nemini ullum optat malum, aliena non concupiscit, Propria alijs communicat.

4tò. *Non agit Perperam*, id est omnia secundum ductum rectæ Intentionis, & principiâ Fidei disponit, nihil ex impetu Passionis aggreditur, in bono constans est, mala aversatur.

5tò. *Non inflatur*, hoc est amans DEVM non extollitur, DEI Gloriam non suam quærit in omnibus: Alto superciliò alios non despicit, de omnibus bene sentit, seipsum deprimit.

6tò. *Non irritatur*, idest Amator Dei læsus ab alijs, non cogitat vindi-

ctam nec iram fovet, omnibus etiam Inimicis bona & prospera precatur, benefacit his, qui eum persequuntur, obliviscitur injuriæ, & mansvetum se omnibus exhibet.

7mò. *Non cogitat malum*, id est neminem judicat, neminem condemnat, nullum censuret, non obloquitur, Iudicia de alijs mala non fovet, de nullo nisi bene loquitur.

Amor Proximi.

1. IN quolibet DEVM agnoscit, honorat, nec quenquam audet contemnere, sciens omnes esse imaginem DEI.

2dò. Sufferendi Proximorum defectus, & delinquentibus ignoscendum.

3tò Nullus contemnendus, nullus vituperandus, censurandus nullus, quivis enim pro seipso reddet DEO rationem, quapropter seipsum quisq; introspicere debet.

4tò. Ita quisq; ordinet vitam suam

ut omnibus gratus, amabilis fiat, omniumq; amorem & benedictionem mereatur.

Contemptus & Humiliatio sui.

1. SÆpius nostrum nihilum mente revolvendum ex nihilo enim originem duximus, & nihil ex nobis sumus, proinde nihil nobis attribuere, nihil arrogare possumus.

2dò. Non sibi credat Religiosus non fidat suis viribus, agnoscendo suam labilitatem ac infirmitatem. Arundines sumus vento agitatæ, aut tanquam folium quod levi etiam auræ impulsu rapitur, & in diversa agitatur.

3tiò. Oblivio sui ubiq; præferenda quod duplici modo fit. 1mò. Pura in omnibus Intentio habenda, nullo sui respectu, nulla commoditate vel honore duci, sed solus DEUS & ejus gloria quærenda in quovis opere. 2dò Totum se divinæ Providentiæ regendum permittere, sive per adversa, sive

per

per proſpera omnia, de manu ejus hilari & grato animo acceptando; eumq; laudando in cunctis eventibus, juxta illud Benedicam Dominum in omni tempore.

4tò. Providere DEVM in Conſpectu ſuo ſemper.

Contemptus Reſpectuum humanorum.

1. NVnquam velle placere hominibus, quia tales juxta Pſalmũ DEVS ſpernit.

2dò Nihil ducere Iudicia hominum, ſed ſolius divini Iudicij de ſe timorem ubiq; conſervare. Memoriam præſentis DEI omni amore ac veneratione digniſſimi retinere, Ferventſq; deſiderium placendi DEO concipere ac ſæpius excitare.

3tiò. Minus curare aliorum irriſiones, cenſuras, ſacraſmos, ſurdos nos, & mutos eſſe oportet ad hæc omnia.

4tò, Palam profieri quod in nullius

us gratiam aut ob Amicitiam velis DEVM vel minimo defectu offendere, aut Virtutem deserere, impressa menti, CHRISTI Domini admonitione. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, & qui me erubuerit, erubescam & ego eum.

5tò. Satius eligendum est pati propter Iustitiam. Beatos enim CRISTUS pronuntiavit qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quam aliorum exemplo aut persvasione abstrahi à bono.

6tò. Opponamus nos & simus tanquam murus inexpugnabilis pro DEO & Virtute, certificati à CHRISTO quod & ipse nos ubiq; tuebitur, & contra omnes adversarios defendet.

Conformitas cum divina voluntate.

1. IMbuenda est mens hâc infallibili veritate, quod omnia quæcunq; no-

nobis acciderint in vita, sive amara, sive svavia, esse ex dispositione optimæ & nobis Faventissimæ voluntatis divinæ proinde in cunctis tam prosperis quam adversis agnoscenda est, adoranda, amplectenda, sustinenda voluntas DEI. Nunquid non est liberum DEO tecum agere, & de te, disponere quæcunq; ei placuerint.

2dò. Credamus id firmiter quod omnes eventus in hac vita sunt ordinati ex benevolentissima DEI decisione in nostrum bonum. Melius enim ille novit, quæ cuiq; expediant & quæ magis saluti conducant quàm homo sibi optare valeat, qui obcæcatus Amore proprio quandoq; desiderat ea quæ sibi maxime sunt noxia.

3tió. Ita nos deponamus in manu DEI, tanquam pauxillum luti in manu figuli, ut ille quæcunq; voluerit faciat nobiscum.

4tò. Serio apprehendamus ut nobis intimemus quod bonum & Fidelem

lem Dominum nacti simus, ille sollicitus est de nobis, in illum omnem curam & cogitatum jactemus. In Manibus ejus sortes nostræ.

5tò. Consideremus DEVM esse Sapientiorem quàm nos sumus, meliorem, Potentiorem. amantiorem nostri, fideliorem nobis, digniorem, diligentiorem circa nos, quàm nos simus. Si itaq; DEVS Sapientior quàm Tu o Homo! meliùs & prudentius te ille gubernabit, quàm Tu te ipsum gubernare posses. Si DEVS melior est, quàm Tu Religiose, meliora itaq; ille tibi volet, quàm tu velle tibi posses, Proinde illius Bonitati Confisus vive, Si DEVS est Potentior quâm Tu Religiose, facilius itaq; illi erit ea omnia Tibi præstare & efficere quæ sciverit magis convenientia saluti tuæ. Si DEVS Amantior est Tui quàm tu ipse de illius ergo Charitate in Te confidere & sperare debes. Si DEVS Tibi fidelior, illius igitur curæ & Pruden-

dentiæ totum Te crede. Si DEVS est dignior quàm Tu, utiq; dignius est ut DEO ejusq; voluntati subsis, quàm tuæ vilissimæ. Si deniq; DEVS diligentior est quàm Tu circa res tuas, securius ergo in ejus Cura conquiesces quàm in ulla tua. Totum itaq; Te committe Voluntati divinæ.

Vera Pax interior.

1mo, Consistit in hoc ut Religiosus in nulla re seipsum suaq; commoda quærat, sed solum in omnibus DEVM ejusq; gloriam intendat. Vere enim S. Augustinus exclamat. *Inquietum est cor meum DEVS, donec requiescat in Te.*

2do. Necessum est ut Religiosus cum virtutibus & bonis moribus Societatem & quandam colligationem ineat, cum vitijs verò & proprijs concupiscentijs continuò depugnet, moderando mortificandoq; passiones & extirpando vitiosos habitus,

3tio. Frangenda ſemper propria voluntas & illi ubiq; reſiſtendum. Contra ſuos adverſarios non inflari, nec illis reſiſtere, nullis invidere, neminem odiſſe, omnibus Charitatem præſtare perfectio Religioſa eſt, quæ nos in alta animi pace conſtituit.

4to. Æquo animo adverſa & proſpera de manu DEI acceptare, ejuſq; Sanctiſſimæ ac rectiſſimæ voluntati conformari.

5to. Omnia peccata etiam leviſſima quæ omnium inquietudinum perturbationumq; ſunt cauſa toto conatu & ſtudio evitanda, fugiendave.

6to Cum univerſis Humilitate & ſubmiſſione certare, nulli ſe præferre recogitando Chriſti effatum. *Qui ſe exaltat humiliabitur.* vel in hac vel in altera vita.

7mo. Cum nullo contendere, neminem lædere, ſibi non alijs attendere.

8vo. Injurias omnes, oblocutiones, contemptus forti ac generoſo animo ferre.

Veri-

Veritatis Amor.

Veritas triplex considerari potest, alia Mentis, alia Oris, alia Operis.

1mo. Veritas mentis consistit in hoc, ut quisq; ita de rebus judicet sicut sunt in se & merentur, non attendendo ad exteriores colores, sed penitius penetrando omnia. v. g. Pulchritudo Formæ consideranda est, non ut apparet oculis, sed ut est in se, scilicet pauxillum luti albedine tanquam nive conspersum. Magis itaq; res ad Spiritum & salutem pertinentes æstimandæ & curandæ sunt, quam exteriora.

2do. Veritas oris consistit in hoc ut idem sit in ore, verbisq; quod in mente, nec unum alteri contradicat. Vnde in nullius gratiam mentiri. Homo enim mendax odibilis est.

3tio Veritas Operis postulat, ut idē sit in executione, quod fuit in verbo ac promissione.

MORTIFICATIO.

HÆc Virtus ſicut eſt valde neceſſaria, ita multiplici via exerceri poteſt, per illamq; mortificari poſſunt tum animæ tum corporis Potentiæ.

Mortificatio propriæ æſtimationis.

1mo. Sæpius in diem abdicet à ſe Religioſus omnem curam honoris & famæ propriæ, totumq; jus eorum DEO donet, & conſecret, ejus Providentiæ omnia committendo.

2do. Nihil in laudem ſui coram alijs dicere.

3tio. Patienter ferre ſui contemptum, dicendo. Soli DEO Laus & Honor ac gloria, mihi autem confuſio faciei.

4to. Non deſiderare ut alij ſciant, loquantur de illis rebus, quæ nobis aliquam apud homines facere poſſent æſtimationem.

Mor-

Mortificatio amoris proprij.

1mo. Exerceat ſe Religioſus in ſui contemptu & odio, exprobretq; ſibi ſuam malitiam & peccata.

2do. Nullum bonum opus, nullum ſucceſſum ſibi adſcribat ſive mente, ſive verbo.

3tio. Nulli creaturæ & perſonæ nimio affectu adhærere, disrumpet enim mors arctiſſimas etiam colligationes.

4to. Lætari ſi alteri adſcribatur ſuum opus laudabile: Integra enim merces apud DEUM manebit.

5to. Reputet ſe Religioſus, dignum odio omnium creaturarum, indignum verò omni commiſeratione & reſpectu.

Mortificatio Iræ.

1mo. Impatientia cavenda, diſcaturq; moderatio omnium motuum iræ, & amaritudinum abolitio.

2do. Odium & inclinatio ulciſcendi extirpanda, memoriaq; manſvetudinis Christi retinenda.

3tio. Nihil, præter DEUM, ejusq; gratiæ jactura timenda.

4to. Mæror & tristis spiritus maxime cavendus.

5to. Curandus constans & inconcussus animus, tum in adversis, tum in prosperis.

Mortificatio Visûs.

1mo. Inter orandum in nullam partem reflectere oculos.

2do. Nulla res aspicienda quæ posset alicujus vel minimæ DEI offensæ causa esse, ut sic Religiosus mereatur æternum videre DEUM.

3tio. Curiositas videndi cohibenda propter oculos JESU Sangvine & lachrymis offusos, ubiq; coram DEO & oculis ejus ambulando.

4to. Tenere memoriâ quod DEUS non infrequenter propter curiosos aspectus projiciat à facie sua. Unde S. Xaverius dum illi Matrona quædam narraret, quod curiosius unius viri vul-

vultum circumſpiceret. dixit ei: Digna es ut te DEUS contemnat, & ſuos oculos à te avertat.

Mortificatio Lingvæ.

1mo. Suis temporibus ſtrictè ſilentium ſervandum.

2do. Ab omni verbo mundano, irreligioſo abſtinere, optando ut DEUS in morte concedat hâc lingvâ uti ad Sanctum uſum Sacramenti Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

3tio. Cavendæ oblocutiones, ſeminationes diſcordiarum, imò & verba vana, cùm de omni verbo otioſo reddenda ſit ratio in die judicij.

HORA VESPERTINA.

EXERCITIUM 1mum.

In Litanijs de Omnibus Sanctis rite peragendis.

PRAXIS 1ma.

1mo. Eundo ad Litanias renova in-

tentionem quod velis Sanctissimam Trinitatem venerari corde & affectibus Sanctorum Omnium.

2dò. Genu flectens cogita te procidere cum tota Ecclesia militante in genua ad orandum DEUM, & invocandos Sanctos DEI.

3tiò. Attentè respondebis præcinenti Sacerdoti ad singula dicendo, in persona totius Ecclesiæ. Miserere nobis Pater Filijs in hac valle lachrymarum & miseriarum positis. Misere nobis Fili, quos pretioso sangvine redemisti. Miserere Spiritus Sancte sine cujus numine nihil est in Homine, nihil est innoxium. Miserere Sancta Trinitas quam confitemur, adoramus & invocamus.

Sancta MARIA Ora pro nobis Filijs mancipijs tuis.

Similiter invocandi sunt Sancti orando per illorum intercessionem & merita DEUM, & necessitates Ecclesiæ, Regni, Societatis, ac proprij, Collegij, re-

præ-

præsentando, suppliciterq; petendo, ut Deus ijs subveniat.

4to. Dum dicitur, Libera nos Domine cum debita reflexione petamus liberari ab eo malo, quod exprimitur in Litanijs, ut ab omni peccato, ab ira, & omni mala voluntate &c.

5to. Cum dicicitur, Te rogamus audi nos, Considerate ea verba proferantur, id est te, qui dixisti petite & accipietis. *Rogamus* Per intercessionem Omnium Sanctorum *Audi nos*, non propter nostrum meritum quod nullum est, sed propter tuam pietatem. Dives es enim in omnes qui invocant nomen tuum. &c.

Agnus DEI &c. Parce nobis Domine. Gui proprium semper misereri & parcere.

Exaudi nos Domine. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis nostræ. Miserere nobis sicut scis, vis & potes.

PRAXIS 2da.

1mo. Accedendum ad Litanias dicendas cum tota Ecclesia militante, imaginariq; Imperatorem, Reges, Principes, Præsules, atq; Religiosos prostratos ante Thronũ Saanctissimæ TRINITATIS, Item afflictos, egenos cum suis necessitatibus currentes ad orandum.

2do, Per singulos Sanctorum Ordines variæ virtutes exposcendæ. Per Sanctos Angelos petenda devotio & puritas Angelica. Per Sanctos Patriarchas & Prophetas petenda viva Fides & firma spes. Per Sanctos Apostolos petendus zelus Divinæ gloriæ, & animarum, seu Apostolicus Spiritus. Per Sanctos Martyres petenda Patientia in adversis & fortitudo. Per Sanctos Doctores petenda Sapientia cælestis. Per Sanctos Confessores petenda Sanctitas vitæ & humilitas. Per Sanctas Virgines petenda castitas & rerum terrena-

renarum contemptus. Per Omnes Sanctos, petendum desiderium rerum cælestium. Per ulteriores vero supplicationes petat quisq; liberari ab ijs potissimum vitijs, quibus se novit obnoxium.

PRAXIS 3tia.

Ordinata ad Communionem.

1mo. Induat quivis Personam illius Sancti quem invocat in Litanijs, ejusq; affectibus, præparatione, ac devotione desideret accedere ad Eucharistiam, vel post illam susceptam Deo agere gratias.

2do. Oret Sanctos ut ipsi suis Virtutibus & meritis suppleant suam insufficientiam, commodentq; propriam lingvam, Os, Cor, ad recipiendum CHRISTUM.

3tio Omnes Choros Angelorum & Ordines Sanctorum, invitet ut sibi assistant communicaturo, vel ut susceptum Christum ament, laudent pro se

& in se dicens: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus Nomen ejus in idipsum.

4to. Petat in ulterioribus precationibus ut Deus liberet illũ ab omni eo quod se minùs dignum reddat Communione.

Posset etiam esse Praxis recitandi Litanias, præsentando Sanctissimæ TRINITATI varias suas indigentias & necessitates, per singulos Sanctorum Ordines, cum illisq; DEO supplicando, ut ille tanquam Creator, Pater, Dominus ac Benefactor subveniat in omnibus.

EXERCITIUM 2dum.

In Examinanda Conscientia.

1mo. Recogitando ac recognoscendo Beneficia DEI tota vitâ & hac die sibi à DEO collata, cum omni submissione & Reverentia gratias agere Deo pro illis.

Quis te liberalissime Domine Deus digne

digne laudare & glorificare poteſt, quis Tibi gratias aget, pro tot ac tantis gratijs & innumeris beneficijs tuis, quibus me cumulare, & quæ de tuæ Bonitatis ſinu in me viliſſimam tuæ creaturæ portionem effundere dignaris.

Tu me de nihilo creaſti, & in numero rationalium creaturarum conſtituiſti, Tu per Sangvinem Paſſionem ac mortem ignominioſam dilectiſſimi Filij tui eruiſti me de poteſtate inferni, & liberaſti de Captivitate peccati.

Tua Bonitas hucuſq; meam malitiam tolerare non deſiſtit, Sanitatem & vires adauget, ſpatium Pœnitentiæ & Tempus benemerendi tribuit.

Tua Providentia mihi victum & amictum omneſq; neceſſitates ſuppeditat. A multis periculis in quibus alij pereunt me removet, & tuetur.

Tua Omnipotentia & Miſericordia meæ egeſtati & Indigentijs præſertim Spiritualibus ſubvenit, ac labilitatem meam ſublevat, à ruina defendit.

Tua Liberalitas innumera dona in me profundit,

Quidni ergo Te laudem, glorificem, benedicam o Bonitas mea DEVS meus; Misericordias tuas in æternum cantabo. Invito vos Sancti Omnes DEI, invito Vos omnes Creaturæ ad benedicendum DEVM. Benedicite Domino omnia Opera ejus, Laudare & superexaltare eum in sæcula, sit Nomen Domini benedictum à solis Ortu usq; ad Occasum. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, sicut erat &c.

2dò Petendum est Lumen DEI ad sui suorumq; Peccatorum cognitionem.

Emitte Domine vel radium Gratiæ tuæ illuminantis ad cognoscendum me measq; labilitates & peccata, & educ de petra cordis mei fontem lacrymarum ad deplorandas negligentias & Iniquitates meas.

3tiò. Percurrendæ singulæ diei horæ ab ipsa surrectione, & indagandum, quæ in singulis actionibus intentio

tio, quæ cogitatio, quæ verba, quo fine opera facta & qualia! omniane juxta præscriptum & Regulas peracta sunt quantum temporis DEO & comparandæ Virtuti: quantum Vanitati & otio datum! &c.

Quidquid autem Boni in his omnibus iudicaverit Conscientia, totum id DEO adscribatur, sine quo nihil boni fieri potest. Si autem in aliquo deliquisse Te adverteris, ex intimo Corde doleas, DEVM depreceris, Firmiter in futurum id ipsum cavere proponas, mediaq; providenda quibus adjutus facilius ea evites, in quibus deliquisti.

O DEVS summumBonum meum, Tu me tot bonis ac donis tuis cumulasti, & ego loco debitæ Gratitudinis toties Te offendo. Confundor & erubesco, quod me eò pejorem inveniò quò Te mihi magis Propitium & in me Beneficum agnosco. Procido in Faciem meam ante Conspectum Majestatis tuæ, & confiteor me indignum esse

esse qui elevem Oculos meos in cælum, pono os meum in Pulvere Vilitatis meæ atq; in Corde contrito, cum Publicano ad Te Misericotdiarum Patrem clamo, DEVS Propitius esto mihi Peccatori, Doleo ex toto corde meo unicè ob Solam Bonitatem tuam quod te vel minimo peccato offenderim. Vtinam te nunquam offendissem! Pænitet me peccasse. Ne memineris Domine Iniquitatum mearum sed propter infinitam Misericordiam tuam miserere mei. Ego autem cum gratia tua propono me evitaturum occasiones, ne te ampliùs offendam; Adjuva Domine omnem Infirmitatem meam, o Bone IESV subleva Impotentiam meam, labilemq; voluntatem meam corrobora.

EXERCITIVM 3tium.
In Visitando Eucharistiæ SACRAMENTO & Spirituali Communione.

VEnio ad Te Domine JESV CHRISTE & visito Te sub speciebus Eucharisticis latentem in omnibus totius Orbis Ecclesijs, in hisq; locis tota submissione Cordis mei veneror & adoro Te. Colligo hos omnes affectus, adorationes salutationes, quibus Te omnes qui ante me vixerunt colebant, & nunc Viventes colunt, adorant, & usq; ad Consumationem saeculi adoraturi sunt, illisq; omnibus Te colo adoro, me ipsum Tibi submitto.

Laudetur SS. SACRAMENTVM.

CRedo in Te Domine DEVS meus credo te vere existentem sub speciebus Eucharisticis DEVM Verum, & hominem cum Corpore, Anima, Sangvine ac divinitate tua. Credo esse hic accidentia Panis sine subjecto, Credo Te totum esse in tota Hostia Consecrata, & in minutissimis ejus particellis. Credo omnia quaecunq; mihi de hoc SACRAMENTO per Sanctam

Ecclesiam credenda proposuisti; In hac Fide vivere & mori, in hac & cum hac Te suscipere desidero, ad profitendam eam, ad refutandos omnes hæreticorum errores, Fiat Domine IESV per tuam gratiam, & Sacrosanctum Corpus tuum, sit Signaculum & Firmamentum hujus Fidei meæ, usq; ad Extremum Vitæ halitum, sit mihi scutum inexpugnabile contra omnes tentationes Fidei huic adversantes.

Spero in Te Domine & à Te omnia Spero quòd propter magnam Misericordiam & Infinitam Bonitatem tuam dimittes omnia Peccata mea, neq; projcies me à Facie tua. Quæ enim Vtilitas esset in Sangvine tuo, si me perderet Iniquitas mea. Respexisti Domine Petrum dum Te negavit, Non rejecisti Magdalenam Pænitentem, dum tuis advoluta pedibus lacrymaretur. Promisisti Latroni Paradisum, dum ad Te converteretur. En & ego in hac & cum hac spe ad Te

Do-

Dominum & DEVM meum in toto Corde meo convertor, ne quæso despicias miseram animam meam. In Te Domine speravi, non Confundar in æternum.

Amo Te Dominum meum & DEVM meum super omnia, propter solam Bonitatem tuam ex toto Corde meo, & & ex hoc amore excludo omnes alios rerum terrenarum affectus de Corde meo, ad Te autem dirigo totum me, omnia vota & desideria mea, o summum Bonum meum DEVS meus & omia.

Confiteor Indigentiam ac Vilitatem meam, quâ demereor, ut Tu Immensæ Majestatis Dominus Sacramentaliter visites inopem animam meam. Quia tamen pius & Misericors es, desidero saltem per gratiam Spiritualiter nunc recipere Te intra me, & post in hora mortis Sacramentaliter, desidero autem affectibus omnium devote in morte suscipientium Te. Quis mihi

hi tribuat illorum desideria, Famem, ardentesq; affectus & devotionem, eorum dilatato Corde & fervore complecti te desidero, O amor mi IESV.

Veni Domine & noli tardare, refice famescentem animam meam in viam æternitatis. En evacuo Cor meum & Tibi Soli illud apertum facio, imple illud gratia & amore Tui,

Complector & recipio Te toto conatu & amplitudine cordis mei, Propitius esto animæ meæ. Sis mihi Dux in viam æternitatis, sis vita mea in hora mortis meæ.

Anima Christi propter me in horto tristis usq; ad mortem, Deitate Sanctificata, in manus Patris commendata Sanctifica me, sis Solatium animæ meæ, præsertim illa hora qua à Corpore separabitur.

Corpus Christi propter me vulneratum, laceratum, in Cruce extensum & emortuum. mihi in Sanctissimo Sacramento relictum, salva me

præ-

præfertim à morte peccatorũ peſſima.

Sangvis CHRISTI de laceris IESV membris profluens, inebria me, & eſto mihi ros illuminans in umbra mortis, ac confortans in Langvoribus meis.

Aqua lateris CHRISTI lava me, ut mundus appaream in Conſpectu Tuo.

Paſſio CHRISTI conforta me, præſertim in ultima infirmitate mea. Non prævaleat adverſarius meus contra me, pro quo tuam animam poſuiſti.

O Bone IESV, propter Bonitatem tuam exaudi me, ne perdant me Iniquitates meæ, quem Tuo Sangvine redemiſti.

Intra Vulnera tua abſconde me, intra illa ſuſcipe animam meam in extremo vitæ meæ agone.

Ne permittas me ſeparari à te, quo æternum beatifice frui deſidero.

Ab Hoſte maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad Te, ut cum Sanctis Tuis laudem Te in Cælo.

Exer-

EXERCITIVM 4tum.

Spiritualis susceptio Extremæ Vnctionis.

Tres Effectus præstat istud SACRAMENTVM.

1. FRuctus quod per illud aboleantur reliquiæ peccatorum si quæ reperiantur in anima, 2dus. Quod firmetur animus roburq; accipiat contra tædia, aliasq; mortis angustias. 3tius. Est sanitas Corporis, si hanc DEVS viderit non obfuturam saluti. Quia verò per sensus peccata intrant in animam, illi proinde inunguntur Oleo Sacro, ut autem Spiritualis inunctio fiat, intincto digito in aqua lustrali signentur Cruce nonnullæ partes Corporis, adjectis Oratiunculis sequentibus.

In Fronte. †

Per Sangvinem defluentem de Capite IESV spinis coronato ejusq; do-

lo-

lores, & per pientiſſimam mifericordiam ſuam indulgeat mihi Dominuc quidquid deliqui per cogitationes as Imaginationes meas in tota vita mea.

In Oculis. †

Per Sangvinem & Lacrymas de Oculis IESV defluentes, & per pientiſſimam Miſericordiam ſuam, Indulgeat mihi Dominus quidquid deliqui per oculos & Viſum meum.

In Auribus. †

Per Sangvinem aculeis Spinarum ab auribus IESV expreſſum, & per pijſſimam Miſericordiam ſuam indulgeat mihi Dominus quidquid deliqui per auditum.

In Naribus. †

Per Sangvinem defluentem de naribus IESV, & dolores narium IESV ac ineffabilem miſericordiam ſuam, indulgeat mihi Dominus quidquid deliqui per odoratum.

In

In Ore. †

Per Sangvinem, fel, aceum, & fitim Oris IESV, & Pientissimam Misericordiam suam indulgeat mihi Dominus, quidquid deliqui per gustum, Os, & loquelam meam.

In Corde. †

Per Sangvinem cum aqua defluentem de latere IESV, & Pientissimam Misericordiam suam indulgent mihi Dominus quidquid deliqui per Cor & affectus meos.

In Pedibus. †

Per Sangvinem defluentem de Pedibus IESV & Pientissimam misericordiam suam indulgeat mihi Dominus, quidquid deliqui per pedes & gressus meos.

Totum Corpus aspergendo.

Per Sangvinem de toto Corpore defluentem, ac omnia vulnera IESV, & Per

ma-

magnam misericordiam suam indulgeat mihi Dominus quidquid deliqui per omnia membra Corporis mei.

EXERCITIVM Vltimum.

In Eliciendis actibus in quibus quisq; bene moratus mori vellet.

ACTVS 1mus.

Expoliationis sui ab omni affectu rerum terrenarum.

1. EXinanio me coram te Domino & Deo meo & expolio omni affectu, desiderio, cura, inclinatione ad res transitorias, & ita me expolio omnium q; terrenorum obliviscor, tanquam si in extremo articulo vitæ meæ & agonis constitutus essem, totum Cor meum, affectus, desideria, Cogitationes transferendo in Te DEVM meum, & totum me demergo in Te, velut stilla roris in Profundo mari, desiderans totus perire in me, inveniri in Te.

Va-

Vale munde immunde, deceptio hominum, Vale caro fætidissima, vermibus consummenda, brevi in pulverem redigenda.

Valete omnes res terrenæ omnes mundi vanitates, Contemno vos & omnia arbitror ut stercora, ut CHRISTUM lucrificaciam, O quanta Cæcitas mea quod hucusq; alicui vanitati adhæserim.

Valete Amici, Fratres, Consangvinei domestici mei, â quibus omnibus separabit me mors.

Valedico vobis omnibus, cum quibus aliquando mansi, Conversatus sum, & deprecor Vos quod aliquando vòs verbo gestu ac malo exemplo offenderim, ad iram occasionem dederim. En me sub plantas vestras abiicio ad conculcandam & deprimendam omnem elationem meam.

Vale & Tu mi IESV in Sanctissimo Eucharistiæ SACRAMENTO, & humillime Te deprecor pro omnibus meis negli-

negligentijs, irreverentijs, ingratitudinibus in Tui uſu, & quod Te non eo affectu adorabam, non ea frequentia viſitabam, non eo Fervore amabam, ac deſiderio ſuſcipiebam quo poteram, & debebam. Suſcipe Domine in recompenſationem meorum defectuum & tepidarũ Communionum, omnes actus Sanctorum Hominum devotè ſuſcipientium te in Euchariſtia, Accipe omnem Honorem, Cultum, adorationes quas habes à Sanctis Angelis, & Tibi dilectis animabus;

Confiteantur Tibi omnia opera tua & Sancti tui benedicant Tibi.

Valedico pariter & Tibi ô Sanctiſſima DEI Mater ac Virgo, ubicunq; terrarum in imaginibus miraculoſis, in omnibus illis Locis veneror Te, ſaluto Te, Benedico te, ijs affectibus & devotione, quibus te omnes alij ſalutant, ſalutarunt, & ſalutabunt uſq; ad Conſummationem ſæculi. Deprecor te quod in vita mea non ea ſubjectione

& constantia Tibi servivi, Te amavi, prout potui ac debui.

Valedico & Tibi Sancta Mater Ecclesia & SOCIETAS militans tanquam Matri amantissimæ, Confundor & erubesco, quod degener hucusq; vixerim. O utinam saltem hoc Extremum vitæ meæ, quam Sanctissimè transigere valeam? Protestor quòd velim vivere & mori tanquam Subjectissimum & obedientissimum Sanctæ Matris Ecclesiæ & SOCIETATIS Mancipium, in PAUPERTATE, CASTITATE & OBEDIENTIA. Perfice Domine fragilem voluntatem meam.

ACTVS
Intentionis, ad recte Obeundam Mortem.

DEsidero mori, agnoscens me esse Hominem mortalem, & hanc circa me voluntatis divinæ dispositionem.

Volo mori, ut reddam debitum natu-

turæ, Tibi DEO meo, Authori naturæ, exſolvamq́; pœnam peccati.

Volo mori ut faciam finem peccandi, evadamq́; omnia pericula lapſuum & offenſarum divinarum.

Volo mori ut imiter Dominum meum IESVM CHRISTUM, Beatiſſimam, ac Sanctos morientes.

Volo mori ut per ultimum exſpirium, recognoſcam ſupremum Dominum tuum DEVS meus, illiq́; integerrime ſubijciar.

Volo mori ut Creatorem ac Patrem meum perfecte in patria amare incipiam. Ante te Domine voluntas & deſiderium meum.

ACTVS
Conformitatis cum Divina Voluntate.

Fiat Voluntas tua Domine de me, ſicut in Cælo & in terra, ſicut in tempore & æternitate, ſicut in vita

ita & in morte. Depono me in ſinum Sapientiſſimæ & benevolentiſſimæ Providentiæ tuæ, velut particellam Operis manuum tuarum, ut facias de me, quæ placita ſunt ante te. In me, de me, circa me, circa vitam meam, ejuſq; omnes Circùmſtantias, non mea cæca, imprudens in omnia mala præceps, ad bonum tarda, ſed tua Sanctiſſima, Sapientiſſima, digniſſima fiat voluntas. Proteſtor quod in nullo velim, refragari tuæ voluntati, deſideroq; ut omnes nutus mei tam interni quàm externi, ultimumq; in morte exſpirium ſit conformatio mei cum Tua voluntate.

A C T V S
Humiliationis ſui, & Adorationis DEI.

DEprimo me coram Te Domine DVS meus, & infra omnes abyſſos nihileitatis meæ abijcio me, in pulve-

vere vilitatis meæ, pono os meum, tota Profunditate submissionis meæ adorando te, debitumq; honorem & adorationem deferendo Tibi. Adoro Te eo affectu & mei exinanitione quo affectu adorant Te Sancti Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, atq; omnis Cœtus Electorum tuorum: Sis Benedictus Domine in æternum, & adoret Te omnis Creatura. Desidero vt omnes atomi substantiæ meæ omnesq; motus & actiones meæ, atq; ultimum in morte respirium, sit tibi debita adoratio & honor, mea exinanitio.

ACTVS FIDEI.

CRedo in Te, & Tibi Domine DEVS meus, Teq; Trinum in Personis, unum in Natura Confiteor. Credo omnia quæcunq; mihi per Sanctam Ecclesiam credenda proposuisti, eamq; Veritatem coram omnibus cre-

aturis profiteor subijciendo & captivando Intellectum meum in obsequium veræ Fidei.

In hac Fide vivere, in hac Fide mori desidero. In Vnione Fidei Doctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, totiusq; Ecclesiæ Christi.

Quis mihi tribuat, ut proprio Sangvine huic veritati subscribere & vitâ meâ consignare valeam, Vltimum respirium in agone meo sit hujus Fidei Professio.

ACTVS SPEI.

SCio Domine vilitatem meam & peccata mea agnosco, super numerum arenæ multiplicatæ sut Iniquitates meæ, propter quas mereor projici abs te, quia tamen magna est multitudo misericordiarum & miserationum tuarum, ac infinita Bonitas tua, ideò spero in Te, & cum omni fiducia recurro ad Te Dominum miseri-

cor

cordiarum & DEVM totius Consolationis, sperans quod licet indignum recipies in gratiam tuam, & participem facies gloriæ cælestis, spero quod non permittes perire opus manuum Tuarum, propter Bonitatem & misericordiam tuam, spero in meritis, Sangvine, Passione, morte CHRISTI ad quam refugio in vita & morte, spero in singulari Protectione Beatissimæ Virginis MARIÆ cui me totum committo; In Sanctorum Patrocinio, quod imploro.

ACTVS AMORIS DEI.

O Bonitas Infinita DEVS meus, amo Te super omnia & appretio, quia summum & omni amore dignissimum bonum es, Amo autem Te amore Infinito, & ex toto corde meo, omnium aliarum rerum creatarum excludendo affectus, Accende Domi-

ne cor meum ignita vi amoris tui.
Amo Te ex tota mente mea, desiderando, de Te tantum, aut propter Te cogitationes in mente mea fovere. Amo Te ex tota anima mea, ex totis Viribus meis, volendo totum me tuis obsequijs & gloriæ impendere. O DEVS qui es Ignis inextingvibilis & omnia inflammans, ardeam quæso ita amore Tui, ut præ vehementia amoris totus deficiam & consumar, In amore & ex amore Tui vivere, in amore & ex amore Tui mori desidero.

A C T V S
Doloris de Peccatis.

COnfiteor Tibi DEO meo in contrito corde meo omnia peccata mea, quibus tota vita mea offendi Majestatem tuam, de illisq; ob solam Bonitatem tuam doleo ex animo. Procido cum pœnitente Magdalena ad pedes Salvatoris mei in cruce clavis affixos, & sub his prostratus deploro iniquitates meas.

Pec-

Peccavi Domine, ah! tibi ſoli peccavi, quem ſolum amare debui. Percutio pectus cum publicano, nec audeo levare oculos meos in cælum. DEUS, Propitius eſto mihi indigniſſimo peccatori.

Revertor ad te Patrem amantiſſimum cum Filio prodigo in amaritudine animæ meæ, recogitans dies vitæ meæ, peccavi in cælum & coram te. non ſum dignus vocari Filius tuus, ſed fac me unum de mercenarijs, fac unum de mancipiis tuis.

Obeo Domine cogitatione illos locos, conſtituo me in illis omnibus circumſtantijs, in quibus te aliquando vel minimo peccato offendi, & ſumme doleo quod te offenderim. Pænitet me peccaſſe. Deprecor humillime tuam Majeſtatem, & in ſatisfactionem horum omniū peccatorū, quæ per caput & cogitationes meas commiſi, Offero tibi Pater æterne Caput ſpinis laceratum Domini noſtri IESV Chri-

ſti, illiuſq; Sangvinem de Capite deſ fluentem, in quo cunctas fœditates Capitis, cogitationum ac intentionum mearum eluo. Reſpice in Faciem & Caput Chriſti tui, & ne reſpicias peccata mea.

In ſatisfactionem pro peccatis oculorum meorum offero tibi oculos Iesu mei ſangvine & lachrymis livoreq; ſuffuſos. Reſpice in me & miſerere mei.

In ſatisfactionem pro peccatis, per guſtum & os meum commiſſis offero tibi Faciem dilectiſſimi Filij tui ſputis oblitam, alapis cæſam, ſangvine perfuſam, offero fel & acetum ſilentiumq; Oris IESu.

In ſatisfactionem pro peccatis cordis mei, ac inordinatorum affectuum & cupiditatum mearum, offero Tibi Sangvinem cum aqua de latere IESV defluentem, in ablutionem delictorũ meorum.

In ſatisfactionem pro peccatis per manus

manus & pedes meos commissorum, offero tibi Sangvinem de manibus & pedibus Christi clavis transfixis manantem.

In satisfactionem pro peccatis omnium sensuum, & membrorum potentiarumq; mearum, offero tibi dolores vulnera, Sangvinemq; de omnibus IESV membris defluentem.

Abscondant me quæso vulnera tua Domine IESV & protegant à Facie iræ Dei.

Sangvis tuus sit balneum animæ meæ. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me,

ACTVS
Gratiarum Actionis.

GRatias tibi ago benevolentissime DEVS pro omnibus donis & beneficijs tuis, quæ in tota vita mea liberaliter in me profundebas. Gratias ago tibi quod me de nihilo creasti, per Sangvinem pretiosum Filij tui redemisti,

misti, ad veram Fidem & & Sanctam, Religionem vocasti, & in ea, me, licet indignum conservare non desistis; Gratias ago tibi quod mihi Sacramentorum usum, & alia salutis media providisti, Angelorum custodiæ commisisti, tot illuminationibus & benedictionibus tuis prævenisti, Benedicta sit in æternum Bonitas tua infinita, & Sanctum Nomen tuum; laudo te, gratias ago tibi toto me, toto cælo, toto universo, ita sicut & quantum tu scis & vis me posse & debere, sicut quantum dignus es.

A C T V S
Desiderij Videndi DEVM.

O Increata ac immutabilis Pulchritudo DEVS, tota capacitate & amplitudine cordis ac desideriorum meorum feror in te, ardenterq; cupio videre te in æternum visione beatifica. Ah quando veniam? quando apparebo ante ante Faciem tuam. Quemadmodum

dum cervus ad Fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te DEVM Fontem vivum. Cupio dissolvi & esse cum Christo, ejusq; gloriosa adorare vulnera. Desidero venerari Beatissimam Virginem ejusq; maternas amplecti plantas. Desidero Sanctis Celditibus congratulari felicem æternitatem. Hic tua dona Domine accipio, te autem dantem non video jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te.

A C T V S

Condonationis Injuriarum & Deprecationis læsorum.

EX amore tui DEVS meus dimitto omnibus ex toto corde meo, qui me aliquando offenderunt, afflixerunt, ac quocunq; modo læserunt, & deprecor coram te illos omnes, quibus aliquam occasionem irascendi dedi; Dimitto Domine mi quia tu præcipis, ut omnibus debitoribus nostris dimittamus. Dimitto ut merear

remis-

remiſſionem peccatorum meorum. Dimitto ut imiter Salvatorem meum, qui pro ſuis crucifixoribus oravit, eſto Domine omnibus illis propitius, & meæ animæ.

ACTVS
Timoris DEI.

COntremiſco ante te tremendæ dignitatis DEVS, & quomodo non contremiſcam ego particella Creaturæ tuæ coram te immenſæ Majeſtatis & Infinitæ dignitatis DEO meo.

Timeo Te amantiſſimum Patrem, prodigus Filius, quem toties offendi, nec ita amavi, ſicut debui.

Timeo Te Iuſtiſſimum & Severiſſimum Iudicem tot iniquitatum mearum conſcius, & ubi me abſcondam, quo fugiam, à faciæ iræ tuæ. Confugio ad ineffabilem miſericordiam tuam. Miſerere mei DEVS ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam,

Abſcondo me in vulneribus IESV Salvatoris mei, & in illis depoſitus deploro omnia peccata mea. Ingemiſco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus. Supplicanti parce DEVS. Salvator mi IESV piiſſime, dum veneris judicare, noli me condemnare. Pone ex una parte Paſſionem, vulnera, dolores, mortem & Crucem tuam, & ex altera Parte animã meam & miſerere ejus.

ACTVS
Commendationis ſui agonis.

INſtanti mortis & agonis Tui Bone IESV, & Tui dulciſſima Mater, commendo inſtans mortis & agonis meî, Mors veſtra ſit vivificatio animæ meæ.

Per acerbitatem ac amaritudinem doloꝛum tuorum amabiliſſime IESV quos ſuſtinuiſti in agone tuo, præſertim in illa hora dum egrederetur Sacroſancta Anima tua de Corpore ſuo, Miſerere animeæ meæ maxime in egreſſu ſuo.

In manus tuas ô Sancta TRINITAS

Vnus

unus DEVS commendo ſpiritum meum, in Sangvine IESV mei emundatũ.

In Sinum Maternæ Miſericordiæ tuæ ô Sanctiſſima Virgo ac Mater depono animam meam, Tu eam fove, Tu ad vitam æternam conſerva.

Sancti Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines ac Viduæ, Ommeſq; Sancti & Sanctæ DEI adeſte mihi in hora mortis, juvate me, defendite, & protegite me, in ultimo agone vitæ meæ, & in hac nocte, veſtræ me cuſtodiæ & patrocinio committo.

Sancta MARIA & Omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari & ſalvari, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Tandem compoſitis in Crucem ſupra pectus manibus, pronuntietur affectu moribundi Sacroſanctũ Nomen.

JESUS JESUS JESUS

atq; ſic obdormiatur.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0021240

